

gr.
in
Haba

177



00 *Handwritten* *Sammlung*
J. C. 79

Theol. B. V. 257.

EXPLICATIO PSALMI

CX.

IN QVA, DO-
CTRINA DE SPI-

rituali regno & aeterno sa-
cerdotio Iesu Christi

exponitur:

Authore


D. Tilemano Heshusio.



HELMSTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno

M. D. LXXX.



2

NOBILITATE
GENERIS, SAPIEN-

tia, virtute, & doctrina præstan-
ti Viro, Danieli à Schulens-
burg, Patrono suo
colendo.



Alutem à filio Dei, qui
propter nos homines, &
propter nostram salutem
descendit de cælis, & ho-
mo factus est.

Nobilissime vir patrone colende,
Omnibus ætatibus multi fuerunt pro-
phani homines, qui omni religionis cu-
ra abiecta tantum huius vitæ commo-
dis studuerunt: & serium Dei timo-
rem, & sincerum pietatis studium
mentis errorem sunt interpretati. Ac
sub aduentum filij Dei Iesu Christi in

A 2 carnem,

P R A E F A T I O.

carnem, tantum inualuerat Epicurea impietas: Ut non solum magna multitudo iudeorum, qui tamen Dei populus haberi volebant, reiecta promissione gratiae, ad disciplinas Ethnicas, & ludos prophanos sese conuerteret: sed ipsi quoque Ecclesiae doctores, summi pontifices, & Sadducei praecipuos fidei nostrae articulos, doctrinam nimirum de spirituali regno Messiae, & de aeterno sacerdotio, & de mortuorum resurrectione, ac gloria futuri seculi, palam pernegarent, & ut vanissimas fabulas exsibilarent: Nisi ipse Dominus Iesus Christus aduentu suo instaurasset Ecclesiam doctrina & miraculis, periculum erat ne tota extingueretur, & Epicureismo veluti diluuium obrueretur.

Articulus ille temporis, quo Dei filius
lius

lius conspiciendum se exhibuit generi humano imago fuit huius postremi temporis, quo omnia minantur ruinam finis mundi est praeforibus: & expe-ctatur laetus & gloriosus aduentus filij Dei in nubibus. Ut de alijs nihil dicam. Epicurea impietas tanta sumpsit incrementa nostro tempore, ut pauci reperiantur, qui vere statuunt esse Deum: qui de remissione peccatorum sint solliciti: & spe aeternae beatitudinis sese sustentent. Huius vitae commodis inhiant omnes: in immensum creuit auaritia: Prophana securitas adeo fascinavit mentes, ut grauissima irae diuinae exempla, quae quotidie sunt ante oculos, raros commoueant: Horribilis contemptus ministerij spiritus adeo inualuit, & multorum occupauit mentes, ut omnes comminatio-

A 3 nes

PRAEFATIO.

nes diuinæ, de impendentibus æternis
pœnis, omnes conciones de extremo &
vniuersali iudicio totius mundi, omnes
promissiones diuinæ de futuri seculi glo-
ria, plerisque sunt rumores vacui, verbaque
inania: & par sollicito fabula somnio.

Vt olim viri principes ac nobiles
prophetis conabantur præscribere for-
mam docendi Dei verbum, eiusdem
audaciæ, & furoris exempla nunc
quoque conspiciuntur: Dicite nobis pla-
centia, videte nobis præstigias, inquis-
unt. Ministerium spiritus sancti, quod
filius Dei suo sanguine meruit, & im-
petrauit, ac diuina auctoritate condi-
dit: suis volunt attemperari legibus, &
ipforum administrari arbitrio: si quos
securi isti animaduertunt iræ diuinæ
exemplis, & spiritus sancti oraculis
commoueri ad pœnitentiæ motus, vt
expaue-

expauescant Dei iudicium: quærant animæ solatia in verbo: metu æternæ damnationis abstineant à fraudibus & sceleribus; & ad cœlestis vitæ gaudia aspirent, hos vana sollicitudine angere, & tantum non mentis delirio vexari statuunt. Vt non sine causa dixerit filius Dei: Putas ne cum venerit filius hominis, quod inuenturus sit fidem? Luc. 18. Piorum enim & imbecillum fidem istorum securorum Epicureis sermonibus, sceleratis moribus, feroci contemptu Euangely, & virulenta pietatis irrisione valde languescere, & in multis penitus extinguere ipsa loquitur. Omnino ergo necesse est, suscitari animos ad fidem; confirmari languidiores in studio pietatis: & prophanam istam impiorum hominum furorem taxari & refutari.

A 4 Hoc

PRAEFATIO,

Hoc cōsilio repetimus doctrinam,
de spirituali regno Iesu Christi, de æ-
terno eius sacerdotio, & de beneficijs
eius immensis, & spiritualibus. Neq;
abit hic labor noster absq; fructu: sem-
per reuocat Deus aliquos ad sanio-
rem mentem: semper aliquos retrahit ex
faucibus satanæ: in quibusdam accen-
dit Deus fidem, & pietatem, & spem
vitæ æternæ: semper aliquod sanctum
semen seruat æternus pater propter fi-
lium ne frustra sit effusus preciosus il-
le sanguis, sed vt perpetuo habeat ille
Ecclesiam sanctam in terris. His
seruit noster labor: in horum pectoris
bus confirmatur agnitio: & timor
Dei, exuscitatur fides: & roboratur
spes vitæ æternæ commemoratione ad-
mirandorum operum Dei: repetitione
oraculorum spiritus sancti; & expli-
catione

catione regni Christi spiritualis.

Dum vero Epicurei homines admirantur suam sapientiam in contemnendo bona caelestia, & tantum huius vitae commodis student, magnam suam produnt stulticiam, & amentiam. Quum enim delent in se creatoris sui notitiam, etiam fructu terrenorum commodorum sese spoliant: Ut enim author omnium bonorum plus recreat cor, quam ipsa bona: et ipsa Dei agnitione insigniter dulcescit usus bonorum: Ita ubi abest agnitio creatoris: omnis suauitas bonorum extinguitur. Quae vero dementia exagitat eos, quod pietatis studium mentis errori adscribunt? an peccatum quod aliquandiu in ipsorum pectoribus dormit nunquam euigilaturum arbitrantur? An totius mundi historiam vna litura inducere nituntur?

A 5 nituntur?

PRAEFATIO.

nituntur? Certe omnium gentium historiae testantur infandos pauores & cruciatus existere in animis hominum Deo statuente scelera in conspectu eorum, & iudicij sui metum infligente.

Cum Alexander Magnus fortem virum, & bene meritum principem Clitum, à quo in praelio ad Granicum seruatus erat, per ebrietatem & furorem interfecisset, alios etiam amicos viros praestantes, Parmenionem, Philotam, Callisthenem crudeliter necasset, in tantam animi perturbationem, & conscientiae dolorem incidit, vt staterit sibi inferre manus, & cum prohiberetur, inedia vitam abrumpere conatus sit. An vero id mentis errore accidisse dicemus? an vanae persuasioni id ascribemus? An non ingeniosus, & sapiens fuit Rex Alexander?

An

An non Monarcha potentissimus?
 An vlla ille metuebat supplicia, quino-
 mine suo terrebat orbem, qui tot erat
 stipatus adulatoribus? Tela illa erant
 diuinitus cordi eius infixæ, quæ exci-
 tarunt dormiens peccatum. Ac si fi-
 eri potuisset, redemisset ille multis auri
 talentis cordis sui tranquillitatem, &
 sceleris obliuionem. At nullum ille in-
 uenit remedium.

Æterna memoria digna est histo-
 ria, quam Procopius de rebus Gottho-
 rum recitat. Virtute & sapientia
 præstans princeps fuit Theodoricus
 Rex Gotthorum, victor Odoacri gus-
 bernatoris Italiæ, tempore Zenonis
 imperatoris: sed Arrianæ impietati
 fauit. Hic duos senatores Romanos
 viros clarissimos, Boethium & Sym-
 machum, qui Arrianorum consilijs re-
 sistebant,

PRAEFATIO.

sistebant, crudeliter interfecit: Cum ergo Regi cenanti apponeretur caput piscis inusitatae magnitudinis, visus sibi est rex videre caput interfecti Symmachi, quod labium inferius moraderet, & dentibus extantibus regi minitaretur: tantus ergo horror & dolor occupat regis animum, ut toto corpore, & omnibus membris contremiscat: ac concito gradu confert se relicta cena in cubiculum & lectum: iubet se tegi stragulis, & togis: sed inualescente dolore conscientiae, accersit medicum suum Elpidium cui cum exposuisset, quid ei in cena accidisset: cumque multis deplorasset factum suum, quod innocentes senatores trucidasset, superastus animi cruciatu expiravit. Quis audebit dicere inanem esse persuasionem tam subitam animi consternationem?

¶

Et polluta conscientiae apertam confessionem? Et tam acerbum cordis dolorem, ut nulla fortitudine reprimi, nullo consilio extingui, nullo colloquio leniri, nullo medicamine sanari poterit.

Simile exemplum apud Iosephum legimus de Aristobulo pontifice, et rege Ierosolymitano: hic cum matrem et fratres in carcerem coniecisset: fratrem vero Antigonum crudeliter necari iussisset, non diu potuit securamente esse: scelere enim patrato, tacita sudant praecordia culpa: ut ille inquit. Adeo ergo furij agitatus fuit, ut in grauissimum incidere morbum, quo in dies inualecente, venis tandem ruptis copiosum effudit sanguinem: quem cum puer aulicus efferret, et prolapsus eo ipso loco effunderet, in quo

Antigonus

P R A E F A T I O .

Antigonus regis frater interfectus
erat : ministri aulae admiratione diui-
nae vindictae : ac si terra inquinata fra-
terno sanguine parricide sanguinem
poposeisset, sustulissent clamorem, A-
ristobulus vero quid rei accidisset dili-
genter inquireret, ac tandem cognouis-
set : in tantum auctus est dolor, ut am-
plius sustinere eum non posset : Inter
horrendos ergo fremitus, & ploratus
extinctus est. Quid hisce regibus pro-
fuerunt tantae opes ? regia dignitas ?
summus splendor & potentia ? Nul-
lum consilium, nullam rationem inue-
nire potuerunt, qua tantum mitiga-
rent dolorem, & animum ad tranquil-
litatem componerent. An non haec sunt
evidentissima documenta, quanta sit
vis peccati reuelati ? quod sensus irae
diuinae sit ignis consumens ? Crescens
tius

tius cardinalis, Roma: pontificis legatus in concilio Tritentino anno 1552. dolore malæ conscientiae oppressus est. Cum enim 25. Martij die scribendis ad Pontificem literis valde occupatus esset, & laborem ad noctem vsq; continuaret, surrexit tandem vt sese reficeret: Ecce visus illi est canis quidam ater inusitata magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram prope demissis ingredi, & ad ipsum recta contendere, deinde sub mensam dilabi: perculsus, & obstupefactus, vbi deum sese collegit, famulos inclamat, qui erant in anteriore cubiculo: iubet adferri lumen, & inuestigari canem: cum nusquam appareret: grauem suscepit cogitationem, & in morbum incidit: tandemq; vitæ cœpit desperare, quantumuis eum familiares, & medici consolabatur.

PRAEFATIO.

consolarentur : neq; falsum fuit eius iudicium, nam morbo inualecente Veronæ decessit. Quis dicat aliam huius morbi Crescentij causam extitisse quã conscientiae metum nocturno incussum spectro.

Ante paucos annos vniuersa Germania memorabile & graue exemplum iræ Dei audiuit. Doctor Ioannes Stosselius, qui cum Ihenæ Pastorem & superintendentem ageret, socius fuit veræ confessionis : & errorem fanaticum Calvinistarum publica voce, & scriptis refutauit. A reliquis quoq; corruptelis horum temporum se alienum esse, præsetulit. Vna cum reuerendo viro, felicis memor : Doctore Simone Musæo socero meo, scriptionẽ præclari libri, cui titulus est : Confutatio & condemnatio præcipuarum corruptelarum

PRAEFATIO.

9

ruptelarum Illustrissimorum principum Ducum Saxoniae adiuvit: ac ipse quidem Ioannes Stosselius conscripsit confutationem Zwinglianismi, & errorum de libero arbitrio. Cum vero spes illi ostenderetur amplioris dignitatis consequendae: transijt, ad alterius sententiae Theologos: & Pirnae factus superintendens, cepit strenue iuvare consilia eorum, qui doctrinam Lutheri de caena domini, sepelire & ex Ecclesia exterminare: Caluini vero, & Bezae dogma omnibus modis promovere nitebantur. Vbi vero inclytus Elector Saxoniae Augustus olfacere cepit dolos & fraudes suorum Theologorum & Doctoris Ioannis Stosselij, qui simulabant quidem se à Lutheri doctrina ne latum quidem unguem discedere: clam vero totis viribus

B ribus

P R A E F A T I O.

ribus hoc agebant vt semina erroris
Caluiniani, per totam Germaniam
spargerent: Ac princeps Augustus:
Heroica seueritate Theologos compe-
sceret eorumq; frāgeret conatus, ante
signanis custodiae mandatis: tum vero
Stosselij peccatum euigilare cæpit: ac
tantos in ipsius conscientia cruciatus
accendit, vt de salute sua desperarit:
neq; vllam admiserit consolationem:
Vociferatus est, se mancipium esse Sa-
tanæ, secundum Arrium, tertium Iu-
dam: fuisse se nouem diebus in infero
no, nihil ad ipsum pertinere promissi-
ones gratiæ: quia seipsum exclusit:
eo quod sciens peccauerit: ac paulo
post cum tristi salutis desperatione ef-
flauit miseram animam, Anno 1576.

Huiusmodi horrenda iræ suæ e-
xempla præponit Deus mundo ante
oculos,

oculos, vt excutiat ei securitatem, & instillet verum Dei timorem. Omnium gentium consensu comprobatum est, nullum esse grauius onus, nullum esse acerbiolem dolorem, nullum esse tristius vulnus, quam conscientiae conspectu suorum peccatorum territæ, & sensu iræ diuinæ oppressæ. Deianira apud Senecam vociferatur: Totus in vultus meos decurrit orbis, totusq; poscit vindicem mundus suum. Cuius ergo dementiæ est, seposita totius orbis experientia, fingere, nullam esse vim peccati: stultam esse imaginatiõnem conscientiae metum: errantis animi delirium esse sensum iræ diuinæ? Quod si vero agnoscunt ingentem esse vim peccati: & metum iræ Dei onus intolerabile: cur persistunt in Epicurea securitate? cur doctrinam de spiritu

P R A E F A T I O.

ali regno Christi aspernantur? Cur
immensa filij Dei beneficia vilipen-
dunt? Cur huius tantum vitæ bonis
& voluptatibus toti inhiant? Cur
prorsus nullam salutis suæ rationem
habent? An quidquam est magis ca-
ducum, vietum, incertum, fluxum, quã
huius mundi opes? An non vnus horæ
momentum, & parta & sperata deco-
ra fortunæ euertere potest? Christi ve-
ro regis & pontificis æterna sunt be-
neficia.

Vtq; homines impij, quorum mens
sceleribus est polluta, diuini iudicij effi-
caciã experiuntur etiam in hac vita:
Ita pijs sentiunt diuini verbi consolatio-
nes de spiritali regno Christi, de con-
donatione peccatorum, de abolitione
mortis, de pace conscientie, & vitæ æ-
ternæ hæreditate, non esse inania
θελητήρια

θελητήρια, quæ aliquamdiu dolentis
 animum mulceant & vana spe lactent;
 sed esse res veras, & verba vitæ, quæ
 hominem vere beatum reddant: Qui
 enim tota fide recumbit in illas am-
 plissimas promissiones, Ezechielis 33.
 Vivo ego dicit dominus nolo mortem
 impij; sed vt conuertatur & viuat:
 Iob. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt fi-
 lium suum vnigenitum daret, vt omnis
 qui credit in eum non pereat, sed habeat
 vitam æternam; Rom. 8. Si Deus pro
 nobis, quis contra nos? qui proprio filio
 suo non pepercit, sed dedit eum pro no-
 bis omnibus, quomodo non cum ipso o-
 mnia nobis donaret? & Iob. 8. Amen
 Amen dico vobis: si quis sermonem
 meum seruabit, non videbit mortem in
 æternum. His inquam & similibus
 promissionibus, si quis sincera & sta-

sione discedere: & se idolorum cultu
polluere: Non solum animo est trans-
quillo & pacato, in quibusvis aduersis
tatibus: Verum etiam insultat morti
& satanae: contemnit omnia supplia
cia. mors Christianis ludus est: certā
enim solidam & firmam concepit
spem aeternae vitae, & perpetuae cum
Deo consuetudinis.

An vero Epicureus aliquis opis
bus immerfus, & stultis voluptatibus
ebrius ridebit ista tanquam errantis
animi vanas persuasiones? rideat ergo
Sardonium: Et vt latro obstinatus
in scala, qua ad aeternum exitium des-
cendebat, positus, oblectet se suo sar-
casmo: Pius vero animus intelligit,
& experitur his spiritualibus bonis,
nimirum tranquillitate animi, consci-
entiae pace, laetitia in Deo, spe vitae

B 4 aeternae

P R A E F A T I O.

æternæ firma nihil esse suavius, nihil solidius, nihil maius, nihil durabilius. Stephanus sententia pontificum damnatus, & mortem sibi imminere videns, animi sui tranquillitatem, & fidem, qua Christum filium Dei intuebatur, & leticiam qua illum spiritus sanctus implebat, non commutasset cum omni felicitate Herodis Regis, vel Tiberij imperatoris, Gustum enim percepit vitæ æternæ Stephanus, & nunc quoque est, & in æternum beatus erit: Herodis & Tiberij felicitas iam dudum evanuit: & æternos expectant cruciatus.

Non ergo patiamur nos turbari virulentis & insanis sarcasmis Epicureorum, sed in pietatis studio cōstanter pergamus: suo enim tempore fructum percepturi sumus amplissimum

atque

atq; æternum. Ac vt pias mentes, quæ religionis amorem securitati carnis anteponunt: & conscientia fiduciam victricem peccati & mortis magni faciunt, in pietate confirmarem: ingen- tia beneficia Domini nostri Iesu Chri- sti mea confessione celebrarem: ac pu- blice testarer, me grata mente agnosce- re inexhaustam Dei bonitatem, qua me in ipso mortis agone & articulo spiritu suo refocillauit, & spe vitæ læ- ta sustentauit: repetiui in explicatione huius Psalmi 110. Doctrinam Eccle- siæ de spirituali Christi regno, & æter- no eius sacerdotio.

Tuo vero nomini, nobilissime & ornatissime vir, visum est hanc expli- cationem inscribere, vt pluribus inno- tesceret, te insignem nostri ordinis, & huius inclytæ Academiæ Iuliae fauto-

B 5 rem

P R A E F A T I O.

rem esse: præclara est virtus atq; modestia tua, qua eximie cohonestas generis tui nobilitatem: & quia literis egregie imbutus es, harum studijs haud dubie iustitiæ, & modestiæ, & reliquarum virtutum amor in tuo pectore magis confirmatur. Verum inter cætera tua ornamenta, quibus ordini tuo præluces, decus illud eminent, quod non obscure ostendis te alienum esse ab epicureorum securitate: pietatis vero studium tibi curæ, & cordi esse: neq; apud te quidquam esse antiquius, quam ex sacrarum scripturarum assidua lectione, firmas inquirere animi consolationes, & spem æternæ hæreditatis confirmare. Unde colligo, & huius commentarioli lectionem & inscriptionem tibi non ingratham fore: Imo confido me alios quoq; tui ordinis, ad æmulationem,

onem,

onem, & imitationem pietatis & virtutis tuæ prouocaturum. Ipse autem filius Dei Rex & Sacerdos noster Immanuel, & sanctus Israelis spiritu suo augeat in te sua dona, sapientiam, virtutem, modestiam amorem literarum, studium pietatis, fidem & animi fortitudinem: & faciat nos æternæ vitæ consortes,

Amen. Helmsta-

dij, 12. Ianuarij.

1580.

Tilemannus Heshusius.

PSALMVVS.

PSALMVS.

C X.

PSALMVS DA
VIDIS.

Dixit DOMINVS
Domino meo: Sede
à dextris meis, donec
ponam inimicos tuos scabellum
pedum tuorum.

Virgam roboris tui mittet
DOMINVS è Zion: Do-
minare in medio inimicorum
tuorum:

Populus tuus spontaneus,
in die victorie tue (serviet tibi)
in ornatu sancto: ex utero au-
roræ (venit) tibi ros generati-
onis tue.

Iuravit

Iuravit DOMINVS:
Et non penitebit eum: Tu es
sacerdos in æternum, secundum
ordinem Melchizedeck.

Dominus à dextris tuis:
confringet in die iræ suæ reges.

Iudicabit inter gentes: im-
plebit (omnia) cadaueribus:
conteret caput in terra multa.

De torrente in via bibet:
Propterea exaltabit caput.

ARGV-

ARGUMENTVM.

C X.

ARGUMENTVM.

Spiritus sancti vocem esse hunc psalmum, locuples & certissimus testis est dominus noster Iesus Christus, Ecclesiae conditor & caput: Interpres vero omnium Prophetarum ut luculentissimus, ita fidiissimus. Hic enim Matth. 22. inquit: Si Messias est filius Davidus, cur ergo David in spiritu vocat eum Dominum? dicit enim in Psalmo: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Certo igitur statuamus, Deum ipsum de caelo suam erga nos voluntatem patefacere: in filio offerre nobis salutem: ac velle ut hunc constitutum Mediatorem fide amplectamur. Admiranda autem breuitate & singulari orationis splendore, complectitur & illustrat spiritus Sanctus praecipua capita doctrinae de caelo patefa-
ctae.

Et a. Orditur suam concionem ab authore huius spiritualis regni: ostendit quis ille sit, qua auctoritate & potentia illud muniat & conseruet. Deinde regis describit personam, qualis ea sit futura, nimirum omnipotens Deus & mortalis homo. Regnum eius distinguit ab omnibus imperijs huius mundi: & docet esse caeleste, spirituale, & aeternum: successum & victoriam promittit ei aduersus omnes hostes, non solum tyrannos & haereticos: sed etiam contra peccatum, mortem & satanam: Monstrat nobis locum in terris, in quo Messias regnum suum sit inchoaturus: & quasi militum suorum delectum habiturus: & deinde in totum orbem regnum suum propagaturus, nimirum in Zion. Docet praeterea quae regni forma, & status sit futurus: nimirum Messiam in medio inimicorum dominaturum. Adhaec subditos huius regis & eorum promptitudinem exponit: Ostendit qualis sit futura Ecclesia Christi: Messiam non solum regem aeternum: verum etiam summum sacerdotem fore liquido declarat. Ac discrimen monstrat inter sacerdotium

tium

ARGUMENTVM.

rium Christi & Leviticum. Predicit totam politiam & ierogegiam Mosaicam in Christo finem sortituram esse. Hostibus huius Messia minatur internum & aeternam abiectionem: predicit gentes ad regni huius societatem asciscendas esse, & credituras Euangelio, ut per Messiam liberentur à peccato, & salutem consequantur. Postremo vaticinatur de passione & morte Messia: docet ergo Messiam verum fore hominem carne humana indutum & nostris infirmitatibus circumdatum, ut pro nobis mori posset: atq; de eius resurrectione ex morte, & gloriosa exaltatione. De his tantis rebus, & quidem precipuis membris totius doctrinae caelestis breuiter quidem, sed admodum luculenter & splendide cōcionatur spiritus sanctus in hoc psalmo. Ac diligenter obseruandum hic est, Messiam in hoc psalmo non solum regem appellari, sed & summum constitui à Deo pontificem & sacerdotem. Nusquam enim in toto veteri testamento adeo expresse appellatur Messias sacerdos, atq; in hoc psalmo, atq; in 6. cap. Zachariae, Est autem fons
vnicus

unicus, atq; uberrimus efficacissimarum,
 & dulcissimarum consolationum, in omni
 aduersitate, contra peccatum & mortem, &
 omnes hostes nostros: doctrina de regno &
 sacerdotio Messia. Itaq; omni studio huc
 incumbendum est: ut ex hoc psalmo Chri-
 stum regem & sacerdotem agnoscere disca-
 mus. Ad usum quoq; transferendus est hic
 psalmus, ut certo statuamus Iesum Chri-
 stum esse & regem & sacerdotem nostrum:
 qui placata Dei ira & morte deuicta: in-
 stitiam & vitam nobis recuperarit: quæ
 regni ipsius beneficia ita sunt accipienda
 fide, ut nos in omni tentatione erigamus,
 & morte atq; peccato superatis tandem per
 Christum vitam adipiscamur æternam.

Dixit Dominus domino
 meo: sede à dextris meis, Do-
 nec ponam inimicos tuos sca-
 bellum pedum tuorum.

Initio monstrat nobis spiritus sanctus
 conditorem huius admirandi regni,
 C quod

EXPLICATIO

quod Messias in genere humano sui administraturus. Non humano aliquo consilio vel industria inuentum est hoc regnum: neque angelorum sapientia illud constitutum est; sed omnipotens & aternus Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, author, conditor, & defensor est huius regni spiritualis. Etiam reliquorum imperiorum mundanorum author & conditor est Deus. Non enim est potestas nisi à Deo: Rom. 13. Deus transfert & constituit regna: Daniel. 2. Verum peculiari modo, & singulari deliberatione hoc regnum spirituale à Deo est institutum. Regna terrena huic vite vult seruire, & suo tempore finem sortiri. At in Messiae regno statuit colligere aeternam Ecclesiam & caelestia atque aeterna bona distribuere: Ac de alijs quidem imperijs ratio colligere potest, à Deo illa constitui & gubernari: quia iusticiam & pacem in ijs conseruat: At Christi regnum, quod est Ecclesia, tam exosum sapientibus, tam expositum iniurijs potentum, tam orbatum presidijs, tam deforme scandalis, adeo dispersum per orbem, sine certa sede, sine politia,

lita, sine visibili capite à Deo esse consti-
 tutum, Deo unice placere, diuinius propa-
 gari atq; conseruari: hoc vero ratio cōpre-
 hendere non potest: sed tota dubitat. confir-
 mat ergo nos spiritus sanctus: & ipsius æ-
 terni patris testimonio reddit nos certos.
 Non est igitur quod moueamur prophantis
 hominum iudicijs; sed ipsi æterno Deo, ad-
 seueranti se authorem esse regni Christi,
 adhibenda est fides. Cum dicit: Dixit
 Dominus: ad diuinam patefactionem nos
 remittit: Dominum Iehoua de cælo reue-
 lasse, quod unigenitum filium constituerit
 mediatorem & regem Ecclesie. Id vero in
 paradiso est factum: cum prima Euange-
 lij promissio de cælo reuelata est his verbis:
 Ponam inimicitias inter te & mulierem:
 inter semen tuum & semen illius: ipsum
 conteret caput tuum: & tu conteres calca-
 neum eius Gen. 3. Hic enim promittit pater
 æternus se missurum filium in mundū,
 qui futurus sit semen mulieris: atq; Eccle-
 sie rex, & victor Satana. Vnde & in 2.
 Psal: Deus pater filium suum regem uni-
 uerso orbi renunciat, inquiens. Ego au-

EXPLICATIO

tem constitui regem meum super Zion montem sanctum meum. Atq; hac de causa filius Dei Iesus Christus subinde allegat, se a patre aeterno missum esse in mundum, Ioh. 6. Hæc est voluntas patris, qui me misit, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo quidquam, sed resuscitem illud in extrema hora.

Hinc vero nobis consolatio ingens petenda est: deforme & squalidum est regnum Christi in mundo, coram ratione humana: rex omnium est pauperrimus, non habet ubi reclinet caput: premitur potentum odio: & cruci adfigitur. Ecclesia subinde exulat in mundo & omnis generis sustinet aduersitates: saepe distractiones & scandala oriuntur in ipso gremio Ecclesie. Nullum genus hominum magis inuisum & exosum est mundo, quam hi, qui in ministerio spiritus seruiunt regi Christo: hos tollere conatur mundus è medio tanquam καθάρματα, & omnibus viribus eos persequitur. Hæc scādala crucis cum secū expedit ratio, nequaquã sibi persuaderi patitur: Deum aeternum esse

esse authorem huius regni: sed potius ut
exiliosum fugit & horret.

Huic ergo tentationi opponenda est hæc
solida consolatio: Quod ipse Deus author
& conditor sit huius admirandi regni, nec
commitendum est, ut externo squalore
turbemur: sed potius ad spiritualia huius
regni bona, nos tota mente & fide conuer-
tamur. Noli timere, inquit Christus, pusille
grex: placuit enim patri vestro cœlesti, vo-
bis dare regnum cœlorum, Luc. 12.

Præterea cum tentamur, num hæc vere
sit voluntas Dei, quod velit nobis remitte-
re peccata, recipere in gratiam, & vitam do-
nare æterna: admodum firmum hoc est fi-
dei nostræ fundamentum. Nebulas sæpe
offundit satanas, ut difficulter statuere
possimus: tam fœda peccata vere à Deo no-
bis condonata esse: per filium vere nos Deo
reconciliatos esse: nos in Dei filios adopta-
ri: spiritum sanctum in nos effundi: hæ-
redes vitæ æternæ nos constituis. Bona hæc
nobis maiora videntur, quam ut in nos
miseros conferri possint: & Satan subin-
de nostram exaggerat indignitatem.

EXPLICATIO

Huic grauissima tentationi relucendum est meditatione huius oraculi, quod Dominus dixit: Aeternus Deus ipse est author huius regni: Ille filium unigenitum misit in mundum, constituit eum mediatorem, regem & sacerdotem: Ipse de caelo filium suum nobis monstravit, & seuerè mandauit: ut ipsum audiremus. Hic est filius meus quo vnice delector: Hunc audite Matth. 17 Et iureiurando confirmauit se nobis in filio velle condonare omnia peccata: Viuo ego dicit Dominus exercituum, nolo mortem impij: sed ut conuertatur, & viuat, Ezech. 33. Ergo causam nullam habemus dubitandi de Dei erga nos voluntate: Aeternum enim decretum suum de colligenda Ecclesia per filium, & de condonandis peccatis omnibus qui penitentiam agunt, non potest retractare. O quanta laetitia oritur in pectore credentis, quando expendit, & firma fide amplectitur hanc indubiam esse Dei patris voluntatem, ut conuersi ad Deum donentur iustitia, & vita aeterna!

Quod si conscientia tua fluctuat fide,

&

Et existimat fieri non posse, ut ille sanctus Deus & seuerus scelerum vindex, tam effuse tibi promittat misericordiam & omnium peccatorum obliuionem: tum contra te erigas & cor tuum confirmes: fieri non posse ut Deus mentiatur. si nollet Deus te ad sentiri promissioni gratia: si constituisset te perdere iuxta legis sententiam: non tibi dedisset filium mediatorem, non iure iurando se tibi obstrinxisset. Noli ergo reliquis peccatis hoc summum addere scelus: ut Deo deneges laudem veritatis.

Si Satanas magnitudinem tuorum peccatorum tibi obicit & te turbare conatur, hoc te munias clypeo: Cede procul hinc impure & mendax spiritus, Ipse aternus pater est author regni Christi. Ille misit filium in mundum: ille edidit promissionem gratia: ille iussit ut omnem fiduciam in Messiam collocaremus: & promisit nos in Christo vitam habituros aternam. Non ergo tanta contumelia Deum adficiam, ut sanctissima eius & aterna decreta vocem in dubium.

Præterea cum constet ipsum aeternum

C A E

EXPLICATIO

& omnipotentem Deum esse conditorem
& defensorem huius spiritualis regni. fac-
ile colligimus irritos & vanos esse conatus
omnium tyrannorum, & hypocritarum,
qui huic regno sese opponunt, & omnibus
viribus illud excindere conantur. Ac sa-
ne totius mundi historia testatur, firmum
& immotum esse regnum Christi: tyrannos
vero & hereticos, qui illud delere conati
sunt, horrendum in modum perijsse, ut e-
xempla docent, Pharaonis, Antiochi Epi-
phanis, Decij, Diocletiani, Maxentij, Lici-
nij, Iuliani: Arrij, Manetis, Nestorij, Euty-
chetis, Pelagij, Pontificum Romanorum,
& aliorum.

Cum spiritus sanctus dicit: Dixit Do-
minus Domino meo: apertissime docet, di-
stinctas esse in diuinitate personas. Aliam
esse patris, aliam filij, aliam spiritus sancti
personam, licet una sit eademque diuinitas.
Non enim alius Deus est filius quam eter-
nus pater: sed alia & distincta est persona.
Pater aeternus non induit humanam car-
nem: non exinaniuit sese. At filius huma-
nam carnem induit & exinaniuit semet-
ipsum,

ipsum, & victima pro genere humano factus est: Alia hic est persona dicens, constituens regnum: alia persona ad quam fit sermo, & quae suscipit regnum: idem & alia scripturae loca testantur, Ioh. 14.

Et ego rogabo patrem, & alium consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritus veritatis, quem mundus non potest percipere. Et Matth. 28. Ite in orbem uniuersum & baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Galat. 4. Vbi venit plenitudo temporis: misit Deus filium suum natum ex muliere, subditam legi, ut eos qui legi erant obnoxij redimeret: ut adoptione ius filiorum acciperemus: Ioh. 1. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum: filius Dei, qui dicitur verbum patris, erat apud Deum: Ergo filius est persona distincta à patre aeterno.

Hec testimonia liquido docent, non tantum appellationes esse distinctas, aut tria esse nomina, sed personas esse distinctas, ut Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Errant ergo Artemon^{us}, Sabellius, Seruetus, & alij, qui
C 5 tollunt

E X P L I C A T I O

tollunt personarum distinctionem, & συναλοιφῆν fingunt, ac volunt eundem esse patrem, filium & spiritum sanctum. Et eandem personam diuersas sortiri appellationes, respectu diuersarum actionum & officiorum. Verum huic blasphemia uniuersa sacra scriptura reclamatur: Aeternus pater non est passus, nec morti subiectus fuit: At filius Dei secunda diuinitatis persona, carne & passa & crucifixa est pro nostris peccatis.

Ad haec hisce verbis, testimonio grauissimo & euidentissimo, demonstrat spiritus sanctus in domino nostro Iesu Christo non solum humanam existere naturam, verum etiam diuinam & aeternam. Filius vel nepos succedens patri in regno, non est dominus sui parentis. Dauid nepotem suum Iesum Christum appellat Dominum suum, fatetur ergo sublimioris eum naturae esse, nimirum aeternum & omnipotentem Dei filium. Christus Phariseos interrogat cuius filius sit Messias: mox sese resoluunt, Dauidis inquirunt: subiicit Christus: Cur ergo Dauid vocat eum Dominum? hic obmutescunt.

mutescunt: quia ignorant Messiam fore
 non solum hominem, sed & aeternum De-
 um. Nec sane purus homo consedisset ad
 dexteram aeterni Dei. Gloriam meam in-
 quit Deus, alteri non dabo: Iesa. 42. Est
 ergo hoc evidentissimum testimonium, in
 Iesu Christo esse aeternam & diuinam na-
 turam: quemadmodum & alijs locis li-
 quido demonstratur: Psal. 2. Prædicabo
 decretum, quod Dominus dixit ad me: fi-
 lius meus es tu, ego hodie genui te. Cum
 Iesus Christus natus sit de essentia aeterni
 patris ab aeterno: necesse est eum aeternum
 & omnipotentem Deum esse eiusdem es-
 sentia cum aeterno patre.

Psalmi pleni sunt testimonijs de diui-
 nitate aeterna Iesu Christi, Psal. 45. Pro-
 pterea unxit te Deus tuus oleo laetitia, præ
 consortibus tuis, & adorabis eum, Psal. 72.
 & adorabunt eum omnes reges terra: Item,
 Et erit nomen eius in secula, quam diu sol
 erit, nomen eius propagabitur, Psalm. 89.
 Dominus Deus Sabaoth, quis similis tibi?
 Potens es domine, & veritas tua in circu-
 itu tuo. Tui sunt caeli, & tua est terra,
 orbem

EXPLICAT. PSAL. CX.

orbē terra, & plenitudinem eius tu funda-
sti: Psal. 95. Venite adoremus & procum-
bamus ante Dominum qui fecit nos. Quia
ipse est Dominus noster, & nos oves pascuae
eius, & oves manus eius, Psal. 96. Cantate
Domino canticum novum: Cantate Do-
mino omnis terra. Quoniam omnes Dij
gentium Idola: Dominus autem caelos fe-
cit. Huc addantur & testimonia ex nouo
testamento: Ioh. 8. Antequam Abraham
erat, ego sum. Ioh. 1. Verbum caro factum
est, & habitauit in nobis, & vidimus glo-
riam eius tanquam unigeniti à patre. Ioh.
5. Pater meus usq; modo operatur & ego
operor. Ioh. 10. Ego & Pater unum sumus.
Rom. 9. Iesus Christus, qui est Deus bene-
dictus in secula. His testimonijs confirme-
mus animos nostros aduersus blasphemiā,
Cerinthi, Arrij, Photini, & similium here-
ticorum: Et sine omni hesitatione statu-
amus. Iesum Christum mediatorem nostrū
crucifixum & resuscitatum, esse verum &
omnipotentem Deum, qui nos ex omnibus
miserijs eripere, & vitam potest largiri
eternam.

Se de

Sede à dextris meis.

Aternus Pater his verbis unigenitum filium constituit regem Ecclesie: Nā sedere à dextris Dei, est pari potestate & gloria regnare cum aeterno patre, & omnes creaturas in sua habere manu. Ne quis vero imaginetur Messiam fore similem aliis regebus in hoc mundo, & terrenum habiturum imperium; collocat eum à dextris suis in cœlestibus, & immensum facit discrimen inter spirituale regnum Iesu Christi, & mundi imperia: fas non est creaturam, que non est Deus, sedere ad dextram aeterni Dei: Gloriam meam inquit, alteri non dabo: diserte ergo nos docet, Messiam non fore purum hominem, quales sunt mundani reges, Cyrus & Alexander magnus: sed esse omnipotentem Deum *ὁμοῦ δυνάμει καὶ ὁμοούσιον* aeterno patri. Que vero ratio tam est ingeniosa, ut amplitudinem & ubertatem consolationum, que hinc nascuntur, aliquomodo saltem cogitatione adsequi posset? Mundani reges, quātauis polleant sapientia, virtute & potentia,

tia,

DE REGNO

ria, non tamen omnibus subditis opem ferre: nec omnia regni pericula auertere: neq; omnibus malis mederi: neq; de omnibus sceleratis penam sumere: neq; omnes ad obedientiam cogere: neq; omnia consilia sua perficere possunt. Homines enim sunt, non Deus: Plurima ignorant: in plurimis per adulatorem decipiuntur: saepe errore impingunt: saepe viribus destituuntur. Plurima itaq; perperam & iniuste administrant. Sapiens Rex Salomo de se & omnibus regibus faterur: Non est homo in terra, qui, cum benefaciat, nō etiā peccet. Et nota est verissima confessio: οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ἀπαντα σοφός. Item: ἀμαρτάνει ἢ σοφὸς σοφώτερος. Et, Μόνον θεὸς γέγρας, τελεία ἀρετή.

Constantinus magnus & sapiens, & pius, & virtute prastans fuit imperator, qui hoc studium habuit, omnibus benefacendi, ledendi neminem: in multis tamē impedit: filium suum Crispum principem magnae indolis & prastantis ingenij, iussit ē medio tolli, deceptus falsa coniugis delatione. Sororis Constantiae instinctu ab exilio reuocauit

redocavit Arrium, quo facto plurimum ne-
 gocij exhibuit Ecclesie. Calumnie nimi-
 um facile fidem habens, odium concepit
 aduersus Athanasium, nec protexit eum
 contra furias Arrianorum. Si tam graui-
 ter impegit Princeps sapiens & bonus,
 non est mirum alios longe grauius delin-
 quere. Vnde totius mundi adfidue sunt
 querela de iniustitia in imperijs. Sanctus
 erat Rex David, cui hoc solum erat propo-
 situm, ut omnibus iustitiam administra-
 ret: Deceptus tamen calumnia Ziba, &
 abreptus vehementia ira precipitat iniu-
 stam sententiam contra innocentem Me-
 phiboseth: Et optimorum & sanctorum
 principum graua leguntur errata. Nec
 sane omnibus calamitosis auxilium pre-
 stare. Neq; omnia pericula auertere pos-
 sunt.

David filio periclitanti non potest fer-
 re opem. Alexander omni sua potentia
 non potest Ephestionem seruare in vita:
 Ioram obsessus à rege Syria mulieri auxi-
 liū petenti succurrere non potest. Augustus
 imperator Quintilium Varum cum legi-
 onibus

DE REGNO

onibus in Germania tueri contra hostes non potest. Non enim infinita est potentia Monarcharum. Ac morbos sane ne à se quidem propellere possunt. Imo omnes succumbunt morti.

At regnum Christi spirituale immune erit ab omni errore, & delicto. Hic aeterna & perfecta dominabitur iusticia. Regnum huius regis iudicium diligit. Tu firmasti iudicium in aequitate, & iustitiam in Iacob, tu fecisti: Psal. 99. Dominus iudicabit orbem terra in aequitate, & populos in veritate.

Cum enim Messias noster sit omnipotens & aeternus Deus sedeat ad dexteram aeterni patris, ac pari potentia cum patre imperet creaturis omnibus: nihil eius sapientiam latere potest: ille introspicit intimos recessus cordium nostrorum: Discernit hypocrisim à vera fide, & solida virtute: fingit & inclinat quo vult sigillatim omnium corda & cogitationes: Perspecta illi sunt omnium hostium consilia: intelligit omnium fidelium vota & gemitus: Nihil tam paruum est in mundo quod non curet:

curet: nihil tam magnum in mundo, quod non habeat in sua potestate: futuros euentus non solum cognitos habet: verum etiã dirigit eos sua prouidentia, & bonitate: Et mortis, & vitæ dominus est: πάντα λόγῳ ποιοῶν πᾶσαν τε νόσον θεραπεύων, ut recte cecinit Sibylla. Imperat mari & ventis, ut conricescant. Orbem terra, & quidquid in eo est in sua habet potestate.

Nemo ergo ei imponere: nemo eius potestati sese subducere poterit: In hoc regno non est relictus locus calumnijs, delationibus, falsis testimonijs: Hic nulla valet προσωποληψία: Rex nullius metuit vel potentiam, vel factionem: nemo in hoc regno impietatem impune laturus est: nemo iustis laborum præmijs frustrabitur: Nullius erunt irrita ad Christum vota: nemo destituetur in necessitate auxilio. Omnipotens enim Deus est noster Messias sedens ad dexteram aeterni patris, Cuius ergo tyranni metueremus, vel minas, vel potentiam? Cur demisso essemus in periculis animo? Cur trepide auxilium à nostro Messia peteremus? Cur in ipso mortis agone ex

D pauer-

DE REGNO

pauesceremus? Christus qui est vita nostra, adest nobis omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.

Ad hac cum noster Rex ad dexteram Dei patris consideat, satis liquet, non posse regnum illius consilijs humane rationis administrari, propagari, defendi, aut etiã legibus hominum comprehendi: sed diuina, & cœlesti sapientia illud regi necesse esse.

Cætera mundi imperia eas res complectuntur, quæ rationi & sapientiæ humane sunt subiecta: Cæli cœlorum domino: terram autem dedit filijs hominum: Psalm. 115. Vnde Salomon inquit. cap. 11. Vbi non sunt consilia, cadit populus, ubi vero consiliarij multi, conseruatur. Sapiens est Nebucadnezar: Itaq; regnum Babylonicum sapienter constituit: munit illud præsidijs: ordinat legibus & iudicijs: & singula humano consilio administrat. Sapiens est Cyrus: sapienti ergo consilio gerit bellum: prudenter instruit aciem: adsidue exercet exercitum: hoste superato totum imperiũ Persicum sapienter ordinat: distribuit officia

ficia principibus: promulgat leges: restituit iudicia: collocat praesidia in urbibus: decernit poenas sceleratis. Xenophon de Cyro inquit: Vix paterfamilias tam quietam agit vitam atq; egit Cyrus: Ita distribuere officia sapienti consilio: Et omnia laudabiliter constituerat: & haec facit humana sapientia. Sic Alexander magnus: sic Ptolomeus Evergetes: sic Iulius Caesar, sic Constantinus Magnus, Theodosius, Carolus magnus, Carolus 4. author aureae bullae, & plurimi alij laudati & sapientes principes sapienter praesuerunt suis.

At Messiae spirituale regnum nec sapientia humana regi, nec praesidijs humanis defendi potest. Rex enim sedet ad dexteram aeterni patris, qui sua diuina sapientia & virtute regnum suum administrat, & contra hostes tuetur. Quid admirabilius quam quod Ecclesiam sponsam suam obijcit violentia tyrannorum, & extremis periculis, ex quibus tamen gloriose eam liberat. Filios Israel non ducit via trita ex Aegypto in terram Canaan: sed per mare rubrum, & vastissima deserta, & longas ambages:

DE REGNO

Mundum vocans ad pœnitentiam, & non solum insipientibus, & misera plebis sed & potentissimis monarchis & sapientibus filij sui beneficia offerens, & viuendi leges prescribens, non per summae authoritatis homines, quos mundus suspicere, & venerari cogatur: sed per infima sortis pisces, idiotas, mendicos id agit: quod Dei consilium omnem humani ingenij sensum longe superat.

Atq; omnia sic administrat in regno suo, alios eligendo: alios pretereundo: nullius merita estimando: peccatores iustificando: paruulos sapientibus preferendo: Ecclesiam cruce exercendo: in medio hostium suorum dominando: mortem subeundo, vt fateri nos necesse sit nulla humana ratione consilia Dei comprehendere posse: Atq; idcirco turpissime labuntur magni viri, cum conantur humana sapientia instituere religionem & munire Ecclesiam.

Quam fœdus fuit lapsus Ierobeam regis Israelis, qui noua sacra & nouos cultus instituit, vt Ecclesia certa regeretur forma. Quam grauius impiegit Nebucadnezar adora-

adoratione statuæ aureæ uniformē Ecclesi-
am in omnibus prouincijs instituere ten-
tans.

Carolus 5. Augustano libro, qui Interim
inscribitur, conabatur pōrificios Idolatras,
& Lutheranam Ecclesiam in vnum redu-
cere corpus, vt omnia dissidia tolleret: ve-
rum cum humanum hoc esset inuentum
maiorum distractionum, & plurium scan-
dalorum fuit causa. Noster itaq; Messias
ad dexteram Dei sedens certum dedit
verbum, legem & Euangelion, ex cuius
prescripto omnia in Ecclesia vult admini-
strari à nobis. Quæ vero incidunt diffi-
cultates diuina sua sapientia vult expedi-
re. Vnde Iesaias inquit: Dominus agit
consilio mirabili, & magnificat salutem,
cap. 28.

3. Deinde cum sedeat rex noster ad de-
xteram Dei patris: hoc est, patri potentia
& maiestate regnet cum patre: non indi-
get potentia mundana, non opibus, non ex-
ercitibus, non armis, non presidijs, non cor-
poris custodibus, non sociorum auxilijs: sed
omnia verbi efficacia, & spiritus energia

C 3 exequi-

DE REGNO

energia exequitur: Et gloriose colligit Ecclesiam, vel inuitis inferorum portus: Et de suis hostibus triumphos agit: & omnia Dei consilia per manum eius succedunt prosperrime. Tantum verbo instruit suos apostolos, quos in totum ablegat mundum: *Ite, inquit, & predicare Euangelion uniuersae creaturae: Marc. 16. Et Psal. 2, Predicabo decretum, quod Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te: Et Zach. 4. Non in exercitu, neq; in robore: sed in spiritu meo dicit Dominus exercituum:*

Et quid egeret ille potentissimus Rex, vel militibus, vel equitibus, vel armis, cum omnium hominum corda, consilia & cogitationes, omnium fortunas, & vitam: omnes deniq; creaturas in sua habeat potestate: atq; verbo suo & spiritu imperet omnibus: neq; vlla creatura eius imperio se eximere possit? In *Ierem. cap. 23. inquit: An non verbum meum ignis dicit Dominus: & sicut malleus dissipans petram? & Psal. 29. Vox domini incidens ut flamma ignis.*

Munda-

Mundanorum imperiorum diuersissima est ratio. Nisi enim reges & principes instructi sint opibus, exercitibus, satellitibus, armis, munitionibus, irrita sunt illorum consilia, vari conatus: Vana enim est sine viribus ira. Nisi valido exercitu instructus fuisset Alexander Magnus, nunquam vicisset Darium: nunquam evertisset Persicum imperium: Cum vnus ex centurionibus Caesaris, pro curia stans audiret negari Caesari prorogationem provinciae, gladium concussit manu: ac dixit: Atqui hic dabit: Adeo sine armis & exercitibus nihil succedit regibus mundanis.

At noster Messias Pharaonem submergit in mari: Sennacherib fugat de caelo: Nebucadnezarum furore ex agitat: Nerone in eas conijcit angustias, ut sibi mortem consciscat: opprimit Valerianum, Galienum, Decium, Diocletianum: transfigit Iulianum. Theodoricum regem Gothorum cruciatibus conscientiae interficit. Honoricum Vandalorum regem crudeliter in pios grassantem, a Theopilaese punit, ut vnum membrum post aliud ei decidat, nul-

DE REGNO

lis utens armis : saltem nutu voluntatem suam exprimens. Psal. 76. Qui aufert spiritum principibus, terribilis regibus terra.

Nec vero tantum iræ suæ sententiam exequitur verbo, verum etiam regni sui beneficia distribuit ministerio verbi : remittit credentibus peccata : largitur pacem conscientie, accendit nouam vitam, renouat imaginem Dei in nobis, donat nos spiritu sancto, protegit ac defendit nos contra omnium iniuriam : resuscitat nos ex morte : & transfert nos in vitam eternam : Atq; hæc omnia magnifice perficit verbo : Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti : ad Rom. 1.

4. Præterea cum reges mundani sint in terra, & tantum in res terrenas imperium habeant : alia bona quam terrena conferre nequeunt : Valent opibus reges : & opibus ditare subditos possunt. Alexander Magnus Phocioni per Legatos misit 100. talenta : Xenocrati Philosopho 50. talenta. Augustus cum latericiam inuenisset Romanam : fecit eam marmoream : largiuntur reges pacem : defendunt subditos contra hostes :

hostes: prouident suis de annona.

At donorum spiritualium potestas non est penes eos. Hec enim prerogatiua est nostri Messiae sedentis ad dexteram patris aeterni in caelestibus: Vnde & caelestia distribuit bona: Condonat & aufert ille peccata, quae nulla humana sapientia, vel vi amoueri poterant: tollit ille mortem: destruit satanae tyrannidem: reconciliat nos aeterno patri: accendit in nobis nouam vitam: perfundit nos leticia spiritus: vestit nos iusticia: renouat in nobis imaginem Dei: effundit in nos spiritum sanctum: & constituit nos filios Dei, & heredes vitae aeternae: Hec amplissima bona caelestia, spiritualia & aeterna distribuit Rex noster ad dexteram patris sedens, unde & Psal. 68. inquit: Ascendisti in altum: captiuam duxisti captiuitatem: accepisti dona pro hominibus: etiam rebellibus: ut inhabitet dominus Deus: & Act. 2. Dextera Dei exaltatus & promissionem patris accipiens, effudit spiritum sanctum.

Hoc sane immensum est discrimen inter imperia mundi, & spirituale regnum
D S Christi,

DE REGNO

Christi, Etsi omnium regum, & monarcharum, qui unquam fuerunt, potentia & maiestas in unum conferretur: non tamē tam potens Rex unius delicti labem tollere in iudicio Dei posset, ita ut conscientia eius auctoritati acquiesceret. Condonat David Rex Absoloni parricidium, & recipit eum in gratiam, in regno civili: At corā Deo polluta manet Absalonis conscientia. At noster Messias condonat uniuersae Ecclesiae omnia peccata: eaq; abluit & abstergit, & in profundum maris proyicit.

Quantumuis polleant potentia Monarcha, nec à se, ne ab alijs mortem propellere possunt. Vnius Ephestionis vitam redemisset Alexander multus auri tonnis: sed nec Ephestionem in vita seruare, nec ipse mortis tyrannidem à se amoliri potuit. At noster Messias, & voce tantum ex morte in vitam reuocat quos vult: & resurgit tertia die ex morte, & uniuersam mortis vim propellit à suis fidelibus: & totum genus humanum in nouissimo die est resuscitaturus.

In hunc ergo regem spiritualem sedentem

tem ad dexteram aeterni patris semper oculi & animi nostri sint intenti. Stolidi atq; insani Iudaei Messiam expetunt, qui amplissimas opes possideat: partiatur provincias: distribuatur honores: & multo tempore ipsos felices faciat in hac vita. Quantulum vero hoc esset, & quam exile beneficium? Etiam si eiusmodi Messias, qui nusquam pictus nec fictus est, contingeret ipsis ex voto, atq; is toti orbi dominaretur: & omnes mundi thesauros possideret: ex singulis Iudaeis potentes reges faceret: singulis multas distribuere tonnas auri: & altissimam in mundo pacem constitueret: ut singulis liceret sub vite & ficu deliciarum: atq; tantam felicitatem mille annorum spacio extenderetur: num tunc beati essent? an nihil desiderarent amplius? an solliciti non essent de liberatione à peccato? an reconciliationem cum Deo non expeterent? an mortem non metuerent? An satanae fraudes & molitiones non horrerent? An inferni aeternas tenebras, & perpetuos cruciatus non formidarent? quæ potest esse felicitas vel in summa potentia, vel maximis

DE REGNO

mis opibus, conscientia ob admissum seculi iudicium Dei metuente? An non Alexander Magnus in tanto honorum, opum, & potentia fastigio homo est miser, & calamitosus, dum propter interfectum Clitum infandos sustinet cruciatus conscientiae: ita ut conetur vitam abrumpere? Horrenda ergo cecitas est Iudaorum, quod talem expetunt Messiam qui tantum huius vitae bona distribuatur.

At spiritus sanctus in hoc psalmo eiusmodi nobis offert regem ad dexteram Dei sedentem, qui mederi possit malis omnibus in primis spiritualibus. Nulla grauior calamitas nos premit, quam quod sauciam peccatis gerimus conscientiam: & Dei iram in nos prouocauimus: & aeternum exitium nobis est in conspectu: Cui malo nulla medicina reperiri potest, nulla humana sapientia: Hic vero Messias in hunc finem nobis à Deo datus est, ut saluum faciat populum suum à peccatis suis: reconciliet nos aeterno patri: sanet vulnera nostrae conscientiae: largiatur nobis pacem cordis: perfundat nos leticia Spiritus: & constituat

constituat nos Dei filios, & heredes vite
aeternae. Qui non videt haec spiritualia &
aeterna bona in immensum maiora & po-
tiora esse illis terrenis caducis, fluxis, &
victis, quorum certam possessionem, ne ad
vnius quidem horae momentum nobis pol-
liceri possumus: eius mentem excecata
& fascino Satanae dementata esse neces-
se est. At qui intelligunt Dei iudicium
aduersus peccatum: sensu irae Dei aliquan-
do premuntur: quorum conscientia trepi-
dat ad mentionem iudicij diuini, & eter-
nae damnationis. Hi sane fatentur pluris
se facere, fauorem Dei per Christum recō-
ciliati: & longe ardentiore desiderio se
expetere imputationem iusticiae, conscien-
tia pacem, leticiam spiritus sancti, & cer-
tam spem aeternae beatitudinis, quam totius
mundi opes, imperia, gloriam, & felicita-
tem.

Periculum tibi licet facere: si cum ho-
mine morituro, & contra peccatum, legis
maledictionem, iram Dei, & ignita Sata-
nae tela luētante loquaris: Etiam si com-
memores illi opes amplissimas quas possi-
det:

DE REGNO

der: predices insignem eius potentiam, qua pollet: nihil adficietur, imo augebitur eius mæror, quod ista relinquere cogitur. At si demonstraeris illi, quod Christus morte sua uniuersa eius peccata deleuerit: quod pater æternus propter filium omnem iram abiecerit & in gratiam eum receperit: Quod legis maledictio nihil iuris in ipso habeat: Quod Christus ipsum induerit indumento iustitiæ, & vestimento salutis circumdederit: Quod in iudicium venturus non sit, sed ex morte in vitam transierit: Quod cum Christo & omnibus electis in æterna beatitudine sit victurus: Atq; ille per fidem in has Euangelij certissimas promissiones totis viribus incubuerit: Tum vero tam ingenti perfundetur gaudio, ut se beatum sit gloriaturus: gustum enim vite æternæ tum percipit homo: omnis vero acerbitas mortis tum euanescit. Abeant ergo obstinati Iudæi cum suis Epicureis cupiditatibus, & deliro figmento de regno mundano in rem malam. Nos spiritualia bona æterni regni Christi, omnibus opibus, imperijs, triumphis, gloriæ, felicitati, & voluptati-

voluptatibus totius mundi longè anteponimus. Et latissimo pectore gratias agimus Deo, quod nobis spiritualem dedit Messiam, qui conscientia nostra vulneribus medetur: & nos reducit in gratiam cum aeterno creatore nostro: Et viam nobis aperuit ad caelestem beatitudinem: Atq; sedet ad dexteram patris ut in omni necessitate eius imploremus auxilium.

5. Præterea sedet noster Rex ad dexteram patris aeterni, ut demonstret regnum suum non esse certis regionum limitibus circumscriptum, sed extendi illud in omnes nationes, & totum genus humanū. Ut nulla est natio sub sole, quæ non pareat Deo ut conditori: ita nulla est gens sub sole, quæ non subiecta sit imperio Christi. Non tantum filijs Israel, sed toti generi humano dominatur Messias: Dominabitur, inquit David, à mari vsq; ad mare, et à flumine vsq; ad terminos orbis terrarū: Ps 72. et Ies. 49. Parum est ut sis mihi seruo ad suscitandas tribulationes, et ad restituendas vastitates Israel: Quin dedi te in lucē gentiū, ut sis salus mea vsq; ad extremum terræ. Darius Hystaspis ab India vsq;

DE REGNO

vsq; Aethiopiam imperauit: 127. provin-
cijs. Non tamen uniuersum orbem sibi
subiectum habuit: multa & amplissima
regna in Europa, & Mauritania Darium
dominum non agnouerunt. Magnam or-
bis partem peragrauit, & sibi subiecit Ale-
xander Magnus: non tamen uniuersum
occupauit orbem: Nam Deus singulis regi-
bus & monarchis certos praescripsit domi-
nationis limites, quos transire non potu-
erunt. Xerxes quidem in epistolis ut Ae-
schines refert, gloriari solitus fuit se domi-
num esse omnium hominum ab ortu solis
vsq; ad occasum: sed vanissima haec fuit
iaclantia: quam demonstrauit cum pau-
cis comitibus fugit ex Graecia. Adeo enim
non agnouerunt Graeci Xerxis imperium,
ut ingentem eius exercitum aliquot pra-
lijs animose trucidarint.

At Domini est terra & plenitudo eius:
orbis terrarum & qui habitant in eo, Psal.
24. Psal. 95. Quoniam in manu eius sunt
abscondita terrae: & altitudines montium
ipsius sunt, Psal. 89. Tu dominaris tempe-
stati maris, motum autem fluctuum eius tu
mitigas.

mitigas. Non solum omnia imperia subie-
 cta sunt Christo: Verumetiam uniuersæ
 creaturæ parent ipsius voluntati & man-
 datis. Nulla gens est sub sole, quæ eius im-
 perio se subtrahere: aut fores ei occludere
 possit: sedet enim hic Rex ad dexteram
 Dei. Propagat ergo Euangelion suum in
 omnibus regnis vel inuitis inferorum por-
 tis: In Africa, in Aethiopiam & Maurita-
 niam usq; in Asia, in Indiam & Scythi-
 am usq; in Europa, in Hyberniam, Norwe-
 giam, Finlandiam, Moscouiam usq; spargit
 suæ doctrinæ lucem, & colligit Ecclesiam:
 Omnium tyrannorum consilia & conatus
 habet in sua manu: Ille transfert & mutat
 imperia ut vult: In alto sedet, & humilia
 respicit: & de puluere euehit pauperem.
 Psal. 113. Exaudit omnium fidelium vota,
 & gemitus in omnibus nationibus. Nihil
 est tam paruum quod negligat: nemo tam
 miser est, quæ non respiciat: Nemo tam est
 pollutus peccatis, cuius non misereatur, si
 penitentiam egerit: Venite, inquit, ad me
 omnes qui laboratis, & onerati estis: ego re-
 ficiam vos: Matth. 11. Et Iesa. 30. Beati
 E omnes

DE REGNO

omnes qui confidunt in eo: omnium peccata accusat lege: omnibus offert misericordiam in promissione gratiae: omnibus agentibus poenitentiam donat spiritum sanctum: Omnes resuscitaturus est in extremo iudicio, quando terra reuelabit sanguines suos: nulla abyssus maris, nulli montes, nullus infernus occultare poterit ullum hominem, vel ullum scelus, ut non conspicuum sit oculis Christi: *πάντα ὁρᾷ καὶ πάντα βλέπει*, Tui sunt caeli, & tua est terra: orbem terra, & plenitudinem eius tu fundasti: Psal. 89.

Hec si animo nostro firmiter persuadere possimus, quis nobis esset beator? quis casus turbare nos posset? quam constanti fide innocaremus Dominum in omni necessitate? quam securo animo omnem fiduciam in Christum collocaremus?

Neq; definiti temporis regnum obtinet noster Messias, ut alij reges omnes. David 40. annis: *Vrias* 52. *Nebucadnezar* 43. Alexander tantum sex annis monarchiam obtinuit: his temporibus exactis, cum omni gloria sua extincti sunt. Ipsa etiam regna

regna suas habent periodos, quibus transcurfis euertuntur. De Assyriorum imperio, scribunt, quod durauerit 1300. annis. Persica Monarchia paulo amplius 200. annis durauit: deinde concidit. Nec ullum est imperium sub sole, quod sibi perpetuantem polliceri possit.

At huius Messiae regnum, quia sedet ad dexteram aeterni patris nulla periodus terminat, sed aeternum est. Regni illius inquit Iesa. cap. 9. Non erit finis: Et Dauid inquit: Regnum tuum, regnum est omnium seculorum, & dominatio tua in omnem generationem & generationem. Psalm. 145.

Hec amplissima, & late patentia discrimina inter regnum Christi spirituale, & mundana imperia, monstrat nobis spiritus sanctus, quando ait: Messiam sedere à dextris aeterni patris.

Hoc quoque docet spiritus sanctus hisce verbis: Ecclesiam, quae est regnum Christi, resurrecturam ex morte, & translaturam in caelum, & cum CHRISTO in aeterna gloria & beatitudine victuram.

DE REGNO

Vbi enim est Rex noster, eó & subditos eius transferri equum est: Vt regis sui gloriam videant, & eius presentia fruantur. Volo, inquit Christus, ut vbi ego sum, pater, isthic & mei sint, quos mihi de mundo dedisti, ut videant gloriam meam Ioh. 17.

Dextera Dei non significat certum & sublimem in cælo locum, in quo Christus ita contineatur, ut corpus suum in sacra cæna exhibere non possit, ut aduersarij sacramentorum inepte argumentantur: Aeternus enim pater non habet corporalia membra: ut Anthropomorphite delirarunt: sed est spiritus: In hoc ipso psalmo: dicitur Dominus à dextris tuis: si Christus sedet corporali locatione à dextris patris, quomodo pater est à dextris Christi? Vnde liquido apparet Phrasin illam non de corporali locatione intelligendam esse. Quis vero probare poterit locum esse in cælo illo spirituali & aeterno? Petrus inquit: mille anni sunt veluti vnus dies apud dominum: 2. Petri 3. Vbi non sunt momenta temporum, quis definiet isthic locum esse Physicum? Praesertim cum Dominus in Iesaiâ dicat:

dicat: Ecce ego facio caelum novum & terram novam: Iesa: 65. addat etiam oculum non vidisse, aurem non audivisse, neq; in cor hominis ascendisse, quae praepraevit Dominus diligentibus ipsum: Iesa: 64. Modeste igitur cum Augustino faciendum est, non esse fragilitatis humana caelorum secreta disquirere: Illos vero hallucinari manifestum est, qui statuunt Christum physica locatione sedere certo loco circumscriptum ad dexteram Dei. Apostolus vero Paulus clare docet ad Eph. 1. Dexteram Dei significare summam felicitatem, caelestem & aeternam gloriam, & parem cum aeterno patre potentiam supra omnes creaturas: ad quam dignitatem Christus secundum carnem est euectus: suscitavit, inquit, Iesum Christum a mortuis, collocans eum in dextera sua in caelestibus super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & super omne nomen quod nominatur non solum in hoc, sed & in futuro seculo. Ita sessionem Christi ad dexteram idem apostolus ad Philipp: 2. explicat his verbis: Propterea
 E 3 exalta-

DE REGNO

uit eum Deus & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quod Christus sit dominus in gloriam Dei patris. Atq; cum hac Pauli declaratione congruit quod epistola ad Hebr. 1. & 8. dicit: Christum consedisse in dextera throni maiestatis in caelis. Non ergo inepte corporalem locationem imaginemur in caelo aeterno: sed summam felicitatem, caelestem gloriam & infinitam potentiam cogitemus.

Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

Quid hoc rei est, num tanta maiestatis Dominus ad dexteram Dei considens, equali potestate cum aeterno patre, omnibus creaturis imperans, habiturus est inimicos? An non omnes homines tam sublimem & caelestem potentiam & maiestatem verebuntur? Nequaquam: magna hominum pars furenter sese Messiae oppositura

tura est: & palam susceptura bellū aduersus Dei filium: Christus habiturus est hostes multos & magnos, qui cælo conabuntur inferre bellum: & tentabunt delere spirituale regnum Christi.

Hic nos spiritus sanctus monet de statu & conditione Ecclesie, ne inepte fingamus tale Christi regnum in terris, quod nullos habeat aduersarios: quod nullis sit expositum periculis: quod nullis deformatur scandalis: quod in summo ocio, pace & tranquillitate administretur: & perpetuo consensu floreat: sed potius statuamus Ecclesiam similem esse aciei instructæ: Cant. 6. cui aduersus multiplices & immanes hostes adsidue pugnandum est. Non solum gentes idolis seruientes, blasphemi Turca, Barbari, Mosci, & cæci atq; Antichristi erroribus fascinati pontificij oppugnant Ecclesiam: verum etiam in ipso Ecclesie gremio educati: Omnis generis hæretici: Prophani deniq; tyranni, virulenti hypocrite, fraudulentij insidiatores sanctorum, & variæ pestes subinde exercent, vexant & adfligunt piorum cæcum. & regnum

E 4 Christi

DE REGNO

CHRISTI in terris excindere nituntur. Non ergo polliceamur nobis unquam in Ecclesia altum ocium, almam pacem, & summam tranquillitatem: sed sciamus nos in statione, excubijs, & acie collocatos esse, ut adsidue armis spiritualibus contra nostros hostes praeliemur.

Omni- bus aetatibus multi fuerunt politi- ci gubernatores sapientes & pacis studiosi, qui pertasi certaminum in Ecclesia, sum- mis viribus conati sunt inire rationem, qua finis imponeretur omnibus contenti- onibus: & suauissima & perpetua pax constitueretur in Ecclesia. Et compositi- ones inter Ecclesiam & eius hostes varijs deliberationibus inquisiuerunt. Verum totus ille conatus omnium sapientum ir- ritus plane fuit. Non enim nouam regno Christi formam inducere potuerunt: neq; omnes Christi & Ecclesiae hostes ad veri- tatem allicere: Quam diu ergo manent inimici & hostes Christi tam diu toleran- da sunt certamina in Ecclesia: & aduer- sus hostes fidelibus est vigilandum & pu- gnandum.

Laudan-

Laudandus quidem est cum piorum principum, tum fidelium pastorum sanctus conatus: quo student tollere dissidia in Ecclesia: & pacem componere, praesertim si eum adhibeant modum, quem sacrae literae docent: si curent iuxta Dei verbum iudicari controuersias: si incorruptae veritatis suscipiant patrocinium: si doctrinae falsarios iusta seueritate coerceant: fideles vero pastores constanter defendant. Veruntamen si quis sperat eam rationem inueniri posse, qua perpetua pax constituatur in Ecclesia & omnibus fanaticis ingenijs omnes rimae ad turbandam Ecclesiam obstruantur, toto errat caelo: nec ille formam regni Christi probe intelligit: nec satis compertum habet, quales nam sint perpetui Iesu Christi hostes. Vt enim fingunt hydrae praecisis capitibus, mox alia renasci: ita multo verius dici potest: uno atq; altero loco repressis haereticis, mox alij exoriuntur, & succedunt plerumq; in ipso Ecclesiae gremio. Non ergo offendamur, neq; frangamur certaminum multitudine: sed verbo & spiritu roboremus nostra pectora: &

DE REGNO

in ducem nostrum sedentem ad dexteram Dei, qui suo tempore finem huic tumultui impositurus est, respiciamus.

Hinc vero discendum est nobis, quam fæde corrupta & deprauata sit hominum natura per peccatum. Cum enim homines sint inimici & hostes Dei, & Messia: quem misit Deus ad liberandum genus humanum: & omnibus viribus conentur delere regnum Christi salutis nostræ causa conditum, necesse est extreme corruptos, & à Deo totos alienatos esse homines. Nec sane de vno aliquo hominum ordine: sed de toto genere humano loquimur, omnes natura sumus filij iræ: Eph. 2. Omnes natura sumus Dei inimici & hostes: Roman. 5. Cum hostes essemus, Christus pro nobis est mortuus. Rom. 8. Sensus carnis est inimicitia aduersus Deum. Qui ergo non regenerantur, & renouantur per spiritum sanctum, hi omnes sunt Dei hostes: conantur Dei veritatem opprimere: & Messia: regnum delere.

Quæ igitur esset vis vel facultas, vel capacitas, vel modus agendi in mente & volun-

voluntate hominis nondum renati? quo se-
se ad gratiam & fidem applicare, atq; con-
uertere posset? Sciant ergo inepti patroni
arbitrii ad peccandum nimis liberi, se ma-
nifeste sacrae scripturae vim facere.

Verum propius adhuc consideremus
qui nam sint inimici tanta maiestatis
Messia: quas nam habent irae suae causas?
quibus armis tantum oppugnant dominum?
& quo tandem euentu praeliantur? &
quousq; acre hoc certamen duraturum est?
Duo sunt genera hostium Christi, alij sunt
terreni, & corporales: alij spirituales. De
terrenis prius agamus.

Etsi filius Dei hominum causa descen-
dit de caelo & homo factus est: etsi nostrae
salutis causa constitutus mediator: & qui-
dem offerat nobis omnibus caelestia atq; e-
terna bona: tamen adeo excacata, & de-
prauata est hominum natura, ut sui re-
demptoris odio ardeat: & se hostem eius
non obscure profiteatur. Nec vero tan-
tum infimae sortis homines, & plebei
hostiliter erga CHRISTVM adfecti
sunt, sed omnes ordines, ut testatur Psal: 2.
Quare

DE REGNO

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: adstiterunt reges: & principes conuenerunt in unum, aduersus Dominum & Messiam eius. Quomodo potuisset spiritus sanctus uniuersum genus accusare grauius, quam cum docet omnes ordines, tam reges & principes quã populos hostili animo erga Dominum & Messiam adfectos esse? Non ergo imaginandum est, quasi ethnici idolorum cultores, & blasphemæ Turcæ tantum sint hostes Christi: sed omnes quotquot per filium Dei non sunt erepti ex potestate tenebrarum: neq; per spiritum sanctum in filios Dei transformati, ardent odio Christi. Ac quo homines magis polleant sapientia, opibus, doctrina, potentia, gloria, hoc plerumq; immaniores sunt hostes Christi & veritatis. Plurimum sane refert hanc atrocem hominum peruersitatem probe intelligere.

Quo illustrior fuit Pharaonis sapientia & potentia hoc crudelius persecutus est filios Israel populum Dei: Excellens fuit sapientia Achitophelis, sed hic hostis Christi acerbus fuit, quod odio erga Dauidem demonstra-

monstravit: prestabat ingenio, virtute, & magnis donis Ierobeam Rex Israel, sed saevus admodum extitit regni Christi adversarius. Quanto furore debachati sunt in Ecclesiam regnum Christi Romani imperatores, Decius, Valerianus, Galienus, Diocletianus, Aurelianus, Licinius, & alij quorum tamen virtus & sapientia celebratur! Hac nostra aetate Evangelion & Ecclesia Christi non est experta acerbiores neq; crudeliores hostes, quam Romanos pontifices, Cardinales, Episcopos, Reges, Principes, Consiliarios, quos oportuerat esse columnas Ecclesiae, & lumina orbis.

Non ergo pendeamus à viris magnis, & potentibus in causis religionis: Neq; turbemur, cum audimus sapientes gubernatores, & potentes Monarchas, totis viribus obluclari regno Christi: nam de huiusmodi hostibus dudum praedixit spiritus sanctus per Davidem. Non minore odio conspirant adversus Christum & Ecclesiam sectarij & fanatici homines, qui ludunt opinionibus de Deo: excogitant nova dogmata: depravant sacra scriptura sensum:

☩

DE REGNO

& sua commenta audacissime tueri conantur: quales fuerunt Ebion, Cerinthus, Samosatenus, Marcion, Manes, Arrius, Aëtius, Nestorius, Eutiches, Pelagius, Monachi, Osiander, Adiaphorista, Maior, Illyricus, & multi alij omnibus aetatibus: deniq; Epicurei, Hypocrita, Calumniatores, falsi fratres: qui omnes ἀσπονδοῦ bellum gerunt contra Christum & Ecclesiam. Nihil sane minus audire volunt, quam quod sint hostes Christi, imo gloriantur se pugnare pro gloria Dei, pro conseruatione veritatis, pro Ecclesiae salute: Verum haec sunt πολιτικὰ ἔχηματα τῆς λόγου, & meri pretextus. Quod vero hostes sunt eo demonstrant, quia implacabili odio persequuntur fideles Christi ministros: neq; miserae parcunt Ecclesiae, ut suam vindicta cupiditatem expleant. Atq; in hoc psalmo ἐματικῶς, appellat persecutores piorum: inimicos Christi: donec ponam inimicos tuos, plane ut Christus de caelo clamauit ad Paulum: Saul, Saul, Quid me persequeris? Sciant ergo tyranni, haeretici, sycophanta, proditores, Hypocrita, et falsi fratres, qui miseros &

& afflictos pastores non desinunt vexare,
& multis modis exagitare, se Iesu Christi
æterni Dei hostes esse: & se pupillam oculi
Domini ledere.

Quanam vero potest esse causa tam
implacabilis odij? quem saltem pretextum
habent tanti furoris aduersus Christum,
& eius ministros? Id sane uniuersa testa-
tur historia Ecclesiæ. Accusant quidem
Pontifices & Pharisæi Christum, quod sedi-
tionem in populo moueat: doceat denegan-
dum esse tributum cesari: & conetur in-
uadere regnum: Verum propria eos redar-
guit conscientia: Nemo unquam grauius
confirmauit magistratus authoritatem
Christo: qui iussit Cesari dari quæ sunt Ce-
saris: Et se subduxit, cum populus conare-
tur eum creare regem: Cum vident se se-
ditionis crimen probare non posse, insimu-
lant eum blasphemie: At hic vnus fuit
præco veritatis, & consiliū Dei, de redem-
ptione generis humani nobis aperuit: Ita
manifestis calumnijs opprimitur Christus.

Prorsus eodem modo hostes agunt cum
fidelibus, & sinceris doctoribus: Odij sui
nullam iustam habent causam: queri non

DE REGNO

possunt quod sancti ipsis eripiant opes, vel eorum adfectent imperia: vel flagitiose vivant: non enim hoc promittit eis cura religionis, et conscientiae metus: Imo adeo sanctae vitae studiosi sunt, ut ob simplicitatem & iusticiae amorem contemptui & ludibrio sint mundo: saepe etiam palam confundit Deus virulentos piorum pastorum calumniatores: & suorum ministrorum innocentiam mundo testatam facit.

Exemplum perpetua memoria dignum refert Theodoretus in historia Athanasij. Arrianae factionis Episcopi Tyri conuenerunt, ut Synodi sententia Athanasium Orthodoxae fidei strenuum propugnatorem opprimerent. Ac primum mulier introducta vociferatur sibi virginitatem professa ab Athanasio per vim stuprum illatum esse. Athanasius sistens se iudicio ad tam impudētem calumniam conticescit, perinde ac si nihil ad eum pertineat: Timotheus vero presbyter egregius adsistens Athanasio, conuersus ad mulierem: Ego ne, inquit, mulier unquam tecum rem habui: aut tuam pudicitiam tentavi? Tum illa ad Timothe-

motheum, quem arbitrabatur esse Athanasium, sublata voce clamat: imo tu inquit, virginitatem mihi eripuisti: tu mihi stuprum nefarie intulisti: Adeo ne de facie quidem nouerat Athanasium, quæ illum in iudicio terribilissimi facinoris insimulare conabatur.

Hac calumnia deprehensa textitur alia: Dexteram de cadauere recisam & in arcu-
la lignea recanditam circumferebant &
passim ostentabant Arriani: & insimula-
bant Athanasium quod Arsenium interfe-
cisset, & manu eius resecta ad magiam u-
teretur: hoc crimen vociferabantur, nulla
arte dilui posse: Athanasius sistit se iudicio:
Et Arsenius diu occultatus in Aegypto pro-
dit in publicum, & quidem Tyrum venit
ad synodum: & in iudicium adducitur:
Cum iudices urgent accusationem, & o-
stentant arculam cum inclusa dextera,
exclamant omnes ad mentionem tanti fa-
cinoris: Tandem clamore egre sedato ro-
gat Athanasius, num quis sit, qui nouerit
Arsenium: cum multi faterentur: iubet
hominem produci in medium, & rogat
F rursus,

DE REGNO

rursus, an non ille sit Arsenius: cum negare non possent, diducto eius pallio, utramq; eius manum ostendit iudicibus: Tertiam eius manum nemo requirat, inquit. Cum adeo euidenter refutatum esset crimen, & cum summo accusatorum dedecore calumnia esset conuicta, tumultu excitato, dimittitur cōcilium, & vociferantur Arriani, prestigiatores & magum esse Athanasium, qui hominum oculos fascinare sciat: similia exempla multa leguntur in historijs.

Verum in nullius sancti vita expressius descripta est conditio regni Christi, atq; in historia passionis & crucifixionis domini nostri Iesu Christi: falsorum testimonium accusatio sponte corruit: Christi innocentiam ipse proditor publice fatetur: agnoscit eam Herodes: testatur eam Pilatus: & multis modis ea euincitur: nihilominus opprimitur Christus.

Quam fedas & horrendas calumnias ementiti sunt Ethnici, ut colore aliquo opprimerent Christianos? finxerunt Christianos in sacris suis infantes mactare, & luminibus

luminibus extinctis incesta frequentare, ut Eusebius & Tertullianus referunt. Quam manifestis calumnijs oppressi sunt Propheta, Apostoli, Martyres? Constat ergo mundum odij sui acerbissimi aduersus Christum & totum eius regnū iustas causas non habere: Impudentissima enim sunt mendacia, & calumnia, quibus deformantur Christi ministros, ut suam tegant immanem maliciam & crudelitatem. Vera autem omnis odij in impijs causa est, quod Dei verbum, quo ipsorum idolatria, securitas, impietas, Magia, Libidines, incesta consuetudines, mendacia, & atrocissima quaeque scelera taxantur: atque omnes ad serios paenitentiae motus vocantur, ferre nequeunt. Rumpamus inquit vincula eorum, & proiciamus à nobis iugum ipsorum, Psal: 2. quasi dicant, Nolumus adstringi ad certa Dei mandata: iuxta libidinem cordis nostri ambulare volumus: Qua iuuat reges eant, inquit ille. Et huius tanta peruersitatis incitator, & inflammator est satanas, qui regnum Christi delatum cupit.

DE REGNO

Hanc mundi maliciam intelligere plurimum refert. Obstupescunt enim piorum mentes cum animadvertunt non solum plebem; sed etiam magnos viros, quorum egregia est virtus, insignis sapientia, & præclara potentia, tam inexplebili odio inseculari regnum Christi: & in homines innocentes, tranquillos, & religiosos tam immani crudelitate grassari: Vix sibi persuadere possunt, tam atrocem furorem cadere in hominis naturam, præsertim cum persecutores immanis odij sui nullas habeant iustas causas. Idcirco spiritus sanctus ostendit nobis inimicos & hostes regni Christi, ne turbemur rei monstrositate, neque larva iustitiæ & sapientiæ, quam sibi mundus arte solet aptare, imponi nobis patiamur, sed multo magis corda nostra doctrina instruamus, ad magnam patientiam præparemus: nec propter certamina & pericula Ecclesiam & veritatem deseramus.

Non speres te tanta fide obiturum vocationis tue labores: tanta cura paci, & tranquillitati operam daturum: tam sancte peccata vitaturum: tantaque promptitudi-
ne

ne innumera beneficia in mundum collaturum, ut odium & rabiem istorum inimicorum sis declinaturus: sed sic potius inducas animum tuum: & sic in eas rationes tuas, quo munus tibi à Deo demandatum maiore fide sis administraturus: quo vitam tuam sanctius institues: quo maiore diligentia omnis generis fraudes & imposturas vitabis: quo ardentiore spiritu servies regno Christi: Hoc acerbiores inimicos illos sis experturus. Et quos antea ut sapientes es admiratus: animaduertes omnium hominum esse stolidissimos: siquidem se Christo apponunt: Quos arbitratus es moderatos & placidissimos esse: videbis acerbissimos & truculentissimos esse. Quos sperasti insignes esse iusticie cultores, deprehendes iniquissimos & crudelissimos: Quos existimasti veritatis valde amantes esse, intelliges impudentissimorum mendaciorum, & virulentissimarum calumniarum insignes architectos non deivos $\mu\eta\chi\alpha\nu\acute{\omicron}\rho\epsilon\tau\alpha$ posse. Quae omnia tibi mera paradoxa videri certum est, donec tan-

DE REGNO

dem incidas in manus & machinationes
istorum inimicorum: & propter veritatis
confessiones ex uno periculo in aliud conij-
ciaris: tum sane si non deficies à veritate,
longe plura & maiora experieris, & intel-
liges, quam nunc verbis exponi potest. Re-
uera enim tantum vexatio facit intelli-
gere auscultationem, Iesa: 28.

Quo vero tandem euentu, tot inimici, tam
potentes, tam instructi armis, tanto tempo-
re, tam coniunctis animis, tantum suscipi-
unt certamen, & bellum à omnibus gerunt,
contra Christum, & miseram Ecclesiam?
poterit ne aliquando iniri ratio, qua diri-
matur hoc certamen? Vtri nam futuri
sunt victores? Aliquando ne à tali tumultu
futuri sumus immunes? Donec ponam
inquit inimicos tuos, scabellum pedum
tuorum. O letissimam vocem spiritus san-
cti, qua tuto nos licet in omni periculo &
aduersitate considerare: & de certissima vi-
ctoria aduersus omnes tyrannos gloriari.
Ipse enim Deus adfirmat se tandem omnes
hostes filij sui deleturum & in aeternum
abiecturum. At nobis varijs periculis cir-
cum-

cum uallatis & multiplicibus hostibus cin-
 ctis contrarium plane uidetur. Christus e-
 nim in crucem tollitur, Pontificibus &
 Phariseis interea conuiuia celebrantibus:
 sancti martyres misere trucidantur, Ty-
 rannis trophæa de illis statuentibus: Licetor
 Baptistam capite truncat, Herodes interea
 conuiuatur, & cum sua Herodiade explet
 se voluptatibus: Serra secatur Iesaias Pro-
 pheta, dum Manasses hostis Christi gloria-
 tur, se turbulento doctore liberatum esse:
 Zacharias in templo interficitur, At Rex
 Ioas interea in sinum ridet: Babylas Epi-
 scopus cum liberis misere trucidatur, In-
 terea impius Imperator Decius agit trium-
 phos de hostibus suis deuictis, & Christia-
 nis oppressis. An hoc est inimicos ueritatis
 poni suppedaneum pedum Christi?

Respondeo: Quis nam crederet, sapien-
 tes & uirtute eximios viros, & reges, pacis
 adeo studiosos, ut præ se ferunt esse inimi-
 cos Christi, si odium suum persecutione
 sanctorum non proderent? Tu uero mihi
 euentum certaminis considera: An quis-
 quam ex persecutoribus Christi, & sancto-

DE REGNO

rum impune tulit suam ferociam? An non potentissimi hostes Christi tragice perierunt? Notissima sunt exempla Pharaonis, Agag, Amalekita, Saulis, seræ Acchiopis, Achab, Sennacherib, Balthasaris, qui omnes horribiliter deleti sunt. Misere etiam perierunt Tyranni: Ochus, Antiochus Magnus, Antiochus Epiphanes, Tryphon, Ptolomeus Lathurus immanes sanctorum hostes: Quam insignia exempla iræ suæ edidit Deus aduersus Romanos imperatores. Neronem, Decium, Valerianum, Galienum, Dioclerianum, Maximinianum, Maxentium, Maximinum, Licinium, Iulianum, Valentem, Maximum, Arbogastum, Theodoricum regem Gotthorum, Honoricum regem Vandalorum, & innumeros alios tyrannos? Quid aliud refert tota mundi historia quam seuos & truculentos tyrannos, & inprimis persecutores sanctorum gravissimas luisse penas? Quam vero tristem exitum sortiti sunt blasphemi heretici, qui Christum contumelia adfecerunt? Cerintius, Manes, Arrius, Nestorius, Olympius, & innumeri alij. Hos certe ho-

stes

stes scabellum pedum Christi positos esse, uniuersus orbis fateretur. Iulianus apostata virulentus Christianorum hostis transfusus iaculo tandem vociferatus est vicisti Galilae: Et blasphemus praefectus Iulianus stercore per os effuso sua blasphemia graues dedit poenas.

Nullus sane histus tam fuit potens, nullus tam sapiens, nullus tam felix: quin perierit miserrime, ubi se opposuit Christo: Quam horribili exemplo ex fundamentis euertit & deleuit Ierosolymam Deus, eo quod filium Dei in crucem sustulerat? Omnium gentium historiae testantur, homines impios & nefarios tyrannos, blasphemos hereticos & hostes Christi pertinaces, grauissime à Deo punitos, & in aeternum abiectos esse. Nec vero tantum in hac vita grauius puniuit, & tragice deleuit filij sui hostes Deus: verum etiam aeternis eos destinauit cruciatibus. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Iesa. 66. Etsi igitur esset aliquis vel crudelis sanctorum persecutor, vel virulentus conuitiator nominis Christi, qui sine tragi-

DE REGNO

co exemplo ex hac vita discessisset: tamen non effugiet extremum mundi iudicium. In quo Christus ultimam sententiam aduersus omnes suos hostes est promulgaturus: atq; illos omnes scabellum pedum suorum in omnem aeternitatem positurus. Cur ergo piij in persecutione, & tyrannis grassantibus, animo essent deiecto? Ipse aeternus pater minatur se supplicium sumpturum de aduersarijs Christi. Nullus erit tam virulentus Sycophanta, nullus tanta potentia monarcha, nemo tam ferociter audax qui se grauissimo & seuerissimo Dei iudicio subducere poterit.

Etsi igitur sancti aliquandiu in hoc mundo vexantur exilijs: expositi sunt iniurijs potentum: & saepe opprimuntur calumnijs, & tyrannide: quod ideo permittit Deus, ut innotescat mundo immanis hominum malicia, quod iurati sint hostes Christi: nihil tamen euenit eis mali: quia Christus etiam in morte confirmat suos spiritu suo sancto. Cumq; martyres cum alacri confessione veritatis, cum intrepida inuocatione nominis Christi, cum clara testificatione

ficatione animi sui tranquilli, & læti migrent ex hac vita: euidenter demonstrant, quod non pereunt, sed ad statum beatiorem transferuntur: Ac sane in futura seculo cœlesti gloria ornabuntur, & letissima Iesu Christi consuetudine fruuntur.

Hactenus de corporalibus & mundanis hostibus diximus: sunt vero & spirituales inimici Christi, quos pater æternus positurus est scabellum pedum Messiae: Hi vero sunt peccatum, legis maledictio, dolor conscientia, Satanas, Mors, & infernus: Hi sunt hostes omnium potentissimi: siquidem uniuersum genus humanum redegerunt in seruitutem. Neq; ullius monarchæ tanta est potentia, ut istorum hostium tyrannidem à se amoliri, & sese in libertatem vindicare posset. Neq; sapientia humana ullam rationem inuenire potest qua sese ex talium hostium violentia extricet & euoluat: Hic omnibus hominibus succumbendum est peccato, Satanae, Morti.

At pater æternus constituit filium suum Messiam victorem istorum hostium. Nulla est tam horribilis peccati vis quam non
deleat

DE REGNO

deleat Christus: Iesa: 43. Ego ille sum qui deleo transgressiones tuas, idq̄ propter me: & peccatorum tuorum non recordabor amplius. Et Iesa: 1. Etiam si peccata tua fuerint ut coccinum: quasi nix dealbuntur 1. Ioh. 1. Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato: Latro pendens in cruce, etsi totus cruentus specie erat valde deformi: tamen multo erat fedior aspectu propter peccata, quibus contaminatus erat. Abluit tamen eum Christus, & sanguinis sui aspersione mundiorum eum effecit niue.

Auferi etiam Christus legis maledictionem, & sedat immanes conscientie cruciatus: Ipse enim pro nobis factus est maledictum: & Chirographum quod ex legis decreto nos accusabat, adfixit cruci, & de nostris hostibus triumphum egit, Col: 2. Pacem meam, inquit, do vobis, Ioh. 14. Qui credit in filium non iudicabitur. Ioh. 3. Iustificati fide pacem habemus erga Deum, Rom: 5.

Ipsam quoq̄ Satanam cum toto ipsius regno subiecit Deus pedibus Christi. In hoc

hoc apparuit, inquit Iohannes, filius Dei, ut destruat opera diaboli: 1. Ioh: 3. Cum fortior super eum venerit, vincet eum, & detrahet ei arma quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Luc. 11. & Psal: 8. Ex ore infantium & lactentium perfecisti robur, propter inimicos tuos ut destruas hostem & ultorem. Etsi igitur horribilis est potentia impuri spiritus, ita ut mundi imperatorem eum appellet apostolus: nihil tamen nobis est periculi ab eo: si in fide manemus, & armis spiritus contra eum pugnamus, licet nobis audacissimo Satanæ insultare: Quia Christus totam eius fregit potentiam: & subiecit eum sub pedibus nostris.

Ultimus hostis Christi mors est atq; infernus: Etiam huius gloriosus existit victor Christus. Osee. 13. Ero pestis tua o mors: ero exitium tuum o inferne, & Iesaja. 25. Dominus absorpsit mortem in æternum: & absterget lacrymas à cunctis faciebus: Vnde & Christus inquit Ioh: 8. Amen, Amen dico vobis: si quis sermonem meum seruabit, non videbit mortem in æternum.

Est

DE REGNO

Est ergo immensa hæc consolatio, quod ipse pater æternus adfirmat se uniuersos hostes sui filij, non solum tyrannos, hereticos, Sycophantas, proditores, falsos fratres oppressurum: sed & peccatum, legis maledictionem, terrores conscientie, Satanam, mortem & infernum positurum scabellum pedum Christi. Quam diu ergo in Christo manemus, non est quod ullum hostem metuamus: Ne ipsa quidem mors, cuius omnis potentia fracta est per Christum, per timefcenda est nobis. Imo certum est nos resurrecturos esse ex morte, & cum Christo in omni æternitate victuros: Quia penitus absorpta est mors, ut nos detinere nõ possit. Et morte penitus extincta, & inferno exciso atq; destructo, vitam nobis tribui æternam necesse est.

Atq; hic nimirum futurus est finis huius certaminis, & horum tumultuum. In hac vita dissidium hoc inter Christum, & inimicos eius componi & dirimi non potest. Non enim discedunt homines à sua malicia: non omnes conuertuntur ad Christum: sed maxima hominum multitudo persistit

persistit in odio veritatis, in contumacia
aduersus Deum, in sceleribus & menda-
cijs. Neq; desinit impurus & vindictæ
cupidus spiritus, erroribus implere mun-
dum: Idolorum cultu fascinare homines:
dissidiorum semina spargere: Tyrannorum
mentes inflammare odio piorum: insidias
struere Ecclesie: ad varias fraudes & sce-
lera impellere incautos homines: & quibus
potest modis Christum contumelia adficere:
& Ecclesiam eius premere, finis ergo ho-
rum tumultuum in hac vita sperari non
potest: Ipse enim Deus posuit has inimici-
tias aduersus satanæ regnum: Et Ecclesi-
am in hac vita vult esse sub cruce, & in
acie stare. Qui ergo fingunt sibi somnia de
seculo aureo, & sperant dogmatum contra-
riorum artificiosis conciliationibus, stro-
phis, & ambiguitatibus, cothurnis, & ge-
neralitatibus, concessionibus, collusionibus
cum idolatris, silentio, & dissimulatione
errorum, se eam posse inuenire rationem,
qua omne dissidium de religione tollatur:
vniuersus orbis ad uniformem religionem
cogatur: & æterna pax in hac vita consti-
tuatur.

DE REGNO

tuatur, hi in manifesto sunt errore: & suam produnt inscitiam, quod neq; sacram scripturam didicerint: neq; regnum Messiae intelligant: neq; consilium Dei videant: neq; satanae & mundi maliciam recte norint.

Tum vero finis certaminis, & tumultus huius futurus est, quando Deus omnes Christi hostes scabellum pedum eius posuerit: omnes tyrannos & hereticos oppresserit: satanam ipsum in lacum sulphureum abiecerit: mortem ipsam poenitus absorpserit: Electos vero omnes ad caelestem consuetudinem, in qua nulla certamina, nulla odia, nullae insidiae, nulla mors futura est; sed iustitia & gaudium aeternum vigebit, transtulerit.

Sceptrum regni tui emittet Dominus ex Zion: Dominare in medio inimicorum tuorum.

Q Via statuit Deus in terris colligere Ecclesiam per Messiam, misit eum in mundum

mundum & voluit eum viuere inter ho-
mines: Erat Messias constitutus victima
pro peccato: & illi subeunda mors erat:
necesse igitur erat eum suscipere huma-
nam carnem, & inter homines regnum
suum inchoare: Vt ergo certo sciremus, in
quo imperio, in qua gente vel natione,
Messias sese conspiciendum prabiturus e-
rat, locum nobis monstrat spiritus sanctus.
Ex Zion inquit mittet dominus sceptrum
roboris tui: Ierosolymis, & in populo Iuda-
ico docturus est Messias: & miracula edis-
turus, & sese conspiciendum, & contre-
tandum exhibiturus: Ierosolymis passu-
rus est Messias: & tertia die resurrectu-
rus ex morte: hic vocaturus est apostolos
ad ministerium: & ex hoc loco in vniuer-
sum orbem propagaturus Euangelion su-
um: ut ex omnibus gentibus colligat sibi
Ecclesiam. Ex Zion inquit Propheta ex-
ibit lex & verbum domini de Ierusalem.
Iesa. 2. Et Psal. 2. Ego autem constitui re-
gem meum super Zion montem sanctum
meum. Non quod regnum Christi spiri-
tuale huic loco alligatum: aut tantum in
G hoc

DE REGNO

hoc populo Iudaico esset dominaturus Messias: sed ut constaret, ubi nam, & ex qua familia nasciturus esset: Messias quo in loco aeterni Dei voluntatem mundo esset patefacturus: quo in loco omnis caro Deum esset visura: & diuinam eius vocem exauditura: ubi stupenda Dei opera esset Messias patraturus: quo tempore de caelo ad nos homines filius Dei esset venturus, nimirum: quando populus Iudaicus suis adhuc vteretur legibus: & Ierosolyma ciuitas esset, & politia Mosaica stare.

Hoc plurimum referebat toti mundo notum esse: ne inter gentes vagarentur homines, quarendo Messiam & Euangelion: sed ut & locum, & tempus, & opera, & doctrinam eius ante scirent: ac deinde tanto eum amplecterentur promptiore animo.

Sceptrum roboris, vocat Euangelion Christi, & ministerium Spiritus: Non enim armis, vel regia aliqua potentia, vel maiestate vitur Christus, ad regnum suum propagandum: sed tantum ministerio verbi: Hoc sceptrum eius est, quo suam demonstrat

monstrat maiestatem, & potentiam regiam: hoc regit, & consolatur suam Ecclesiam: hoc vocat homines ad pœnitentiam: hoc terret, & profligat hostes: An non verbum meum, inquit Dominus per Ieremiam, est malleus confringens petras? & Ps. 29. Vox domini in virtute: vox domini in magnificentia: Vox domini incidens ut flamma ignis.

Mundus quidem contemnit hoc sceptrum & iudicat inanem vocem esse: Verum & piy & impij tandem experiuntur ministerium Christi potentius, & validius esse omnibus omnium monarcharum armis & exercitibus. Per ministerium Evangelij eripit nos Christus ex potestate tenebrarum: mundat nos à peccato: ornat nos iustitia coram Deo: largitur conscientie tranquillitatem: consolatur nos in afflictionibus: munit nos aduersus insidias Satanae: effundit in nos spiritum sanctum: & in ipsis mortis terroribus, & doloribus, non solum nos sustentat, verum etiam vitæ aeternæ gustum præbet. Inde est quod Christus inquit: Amen Amen dico vobis:

DE REGNO

Si quis sermonem meum seruabit, non videbit mortem in aeternum. Ioh: 8. Et Petrus inquit. Ioh: 6. Quo ibimus domine: Verba vite habes, nimirum quae vitam conferunt aeternam. Cum David in summis esset angustijs, & aeternum exitium haberet in conspectu, Nathan hac voce: Dominus abstulit peccatum tuum, quasi ex inferis retraxit eum.

Impijs vero ministerium Euangelij est odor mortis in mortem: accenditur in ipsis horribilis dolor conscientiae: percutiuntur maiore caecitate & amentia, & tandem in aeternum exitium praecipitantur, sententia & efficacia verbi diuini. Sennacherib iuxta verbum Prophetae Iesae, sine armis propellitur ab obsidione Ierosolymorum: & tandem in templo Ninuitano trucidatur à proprijs filijs. Petrus apostolus verbo interficit Ananiam & Saphiram. Act: 5. Elias verbo ignem de caelo impetrat: quo centuriones cum suis militibus interficit. 2. Reg: 1. Paulus voce Elymam Magum excaecat: Act: 13. Ambrosius cum Stilliconis scribam excommunicaret, in furorem illum

illum egit: Ita & impij saepe exeperiuntur
vim & efficaciam verbi diuini.

Verum illa admiranda vis & efficacia
verbi diuini in primis celebrāda est, quod
reuocet hominem ex morte: liberet consci-
entiam horrendis paucibus: frangat ro-
tam satanae potentiam: accendat in corde
pacem suauissimam: perfundat nos leticia
in Deo: & sustentet nos in summis peri-
culis & aduersitatibus. Quando ab uni-
uersa creatura destituimur; neq; vlla ra-
tio inueniri potest, qua nos erigamus: sola
Dei promissio, & vitam praebet, & solatiū
praestat. Cum in terroribus mortis arripi-
mus promissionem: *Viuo ego. nolo mortem
peccatoris, sed ut conuertatur & viuat.* Et
quod Christus dixit: *Venite ad me omnes
qui laboratis & onerati estis, ego reficiam
vos.* Et Ierem: 31. *Peccati eorum non re-
cordabor amplius: & propicius ero iniqui-
tati eorum:* Hec verba non solum vincunt
omnes terrores, verum etiam tantam &
tam suauem tranquillitatem, & ineffabi-
lem cordi inspirant leticiam, quam cum
totius mundi opibus non commutarem.

DE REGNO

Ac tandem verbo resuscitabit filius Dei suos ex morte, & aeterna vita gaudia illis distribuet: Impios vero omnes verbo precipitabit in aeternos cruciatus. Vere igitur sceptrum roboris, hoc est, robustum & validissimum, est sermo Iesu Christi.

Emittet Dominus hoc sceptrum.

Christus & apostoli non solum ierosolimis collecturi sunt Ecclesiam verbo: sed aeternus pater gentes dedit hereditatem filio. Ideo emittere apostolos & predicatores verbi in uniuersum orbem. *Ite, inquit Christus, in orbem uniuersum, & predicate Euangelion omni creatura: Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Mar: 16. Initium praedicationis Euangely fieri oportuit in Zion, seu Ierosolymis: sic oportuit Christum pati, & mori, & terti die resurgere, & in nomine ipsius predicari poenitentiam, & remissionem peccatorum, & initium fieri Ierosolymis, Luc: 24. At*
initio

initio prædicationis factò per apostolos Ierosolymis, tum vero etiam ad gentes & in omnia regna lux Euangelij sparsa est. Necessè erat, inquit Paulus, vobis prius annunciari hunc sermonem: quia vero repudiatis illum, & vos indignos iudicatis vita aeterna, ecce conuertimus nos ad gentes: Act: 13. Quia ergo doctrina Euangelij, quæ nunc in toto mundo annunciat, originem suam habet ex Zion, & ab apostolis propagata est, & cum vaticinijs Prophetarum consentit: manifeste hinc sequitur, non esse ab hominibus inuentam, sed de cælo patefactam: Qui enim locum, in quo tanta lux exoritura esset, spiritu suo indicauit, & præfinit: idem & diffudit eam in omnes fines orbis, quod alioquin nullius Monarchæ vel viribus, vel sapientia fieri potuisset.

Euidens vero hoc est argumentum, Messiam promissum dudum exhibitum esse. Messiam enim inchoare oportuit regnum suum spirituale, reuelare Dei voluntatem, vocare homines ad pœnitentiam, & serare Euangelion de gratuita remissione

DE REGNO

peccatorum in Zion, stante poliitia Mosai-
ca, & in populo Iudaico. De Zion exhibit
lex, inquit Iesaias, 2. & verbum Domini
de Ierusalem. At tot seculis euersa est Zi-
on: solo equata est Ierolyma: penitus de-
leta est poliitia Mosaiica: ad internecionē
excisus est populus Iudaicus: Etiam reli-
quias gentis Iudaica oppressit Adrianus
imperator. Nec potuit restitui templum,
flammis erumpentibus è terra, tempore Iu-
liani: Ac nunc Turcica barbaries occupat
ista loca. Ergo necesse est impletam esse
promissionem & Messiam exhibitum.

*Dominare in medio inimi-
corum tuorum.*

NE offendamur mirabili specie regni
Christi, conditiones eius diligenter
describit. Cateri reges mundani, quo tran-
quilliozem habeant gubernationem, & o-
pibus suis fruuntur securius: procul arcent
à se, & subditis suis hostes, & quos norunt
sibi infestos, mox excindunt. Verum hic
Messias in medio hostium suorum domi-
nabitur:

nabitur: non enim omnes amplexuri sunt Euangelion: non omnes conuertentur ad Deum; sed pars maxima hominum persistet in impietate, defendet idola, & blasphemijs conabitur delere veritatem: opponent se illi tyranni, haeretici, hypocrite, & magnus epicureorum numerus. Hoc tumultu non decet nos turbari, nec offensionem dudum enim praedixit Deus: mundum aspernaturum, & omnibus viribus oppugnaturum regnum Christi: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: Adstiterunt reges terra, & principes conuenerunt in unum, aduersus dominum & Christum eius: Psal. 2. Omnium hominum ordines, consilia & vires eo conuertunt, ut regnum Christi oppugnent.

Ac supra ostendimus, qui nam sint inimici, & hostes Christi: quam nullas habeant odij sui causas praeter immanem furorē: & quo euentu oppugnent Christum. Hic vero repetit Propheta Christum in medio suorum hostium dominari. Non enim hi manifesti hostes Christi, procul ab ipso sunt disiti: sed è propinquo adoriuntur

G 5 eum:

DE REGNO

eum: In omnibus regnis & nationibus, in quibus dispersa est Ecclesia, adsidue eam adfligunt, & bellum contra eam gerunt: Præterea sæpissime in ipso Ecclesie gremio nascuntur & fouentur hostes Christi atrocissimi: falsi doctores, desertores veritatis. falsi fratres: Hypocrita & fanatici homines. Quam triste fuit spectaculum, quod Iudas apostolus Christi sit domini sui proditor? Quam graue offendiculum mundo est datum, Cum Arrius minister Ecclesie, nouum cudit dogma de filio Dei, & multa hominum millia seducit in errorem? Docet ergo spiritus sanctus non esse talem Ecclesiam ideam fingendam, in qua mali non sint permixti bonis: sed quæ ex sanctis & pijs consistat tota. Imo vero semper magna est impiorum & hæreticorum in Ecclesia frequentia: sæpe summos dignitatis gradus occupant impij: Vt Pharisei & Sadducei tenebant summa loca in populo Dei: Pontifex Romanus Cardinales & Episcopi haberi volunt pro capite, & præcipuis Ecclesie membris: cum sint accerbissimi persecutores sanctorum.

Hæc

Hac valde tristis & deformis est species regni Christi: Non est dubium, quin spiritus sanctus ipsum tempus exhibiti Messiae, & admirandum statum regni eius describere voluerit. Erat Christus Rex designatus ab aeterno patre, atq; ille se doctrina, & miraculis exhibuit populo: At fuit ille cinctus adsidue acerbissimis & virulentissimis hostibus. Populus superbe contemnebat eum, licet stupenda eius viderent opera: mundationem leproforum, mortuorum resurrectionem, & innumera alia: Pharisei, Hypocrita, Sadducei & Epicurei scelerate eum traducebant, vocabant eum seductorem, & à Satana obsessum. Pontifices peius angue oderant ipsum, & vita eius insidiabantur. Herodes & Pilatus Ethnici Christum pro homine fatuo & misero habebant. Quae ergo ratio colligere potuisset Christum in medio tot hostium regni sui maiestatem, & gloriam defensurum, et Ecclesiam collecturum esse? At constanter pronunciat spiritus sanctus Christum in medio hostium suorum dominaturum: Hoc est, vel inuitis inferorum portis regno suo

DE REGNO

suo positurum, regiam suam maiestatem asserturum, & officium suum nullo impediante executurum. Idq; liquido ex Evangelica historia conspicitur: Etsi enim fremerent pontifices, & Pharisei, & Sadducei: tamen doctrinam à Deo sibi commissam luculenter exposuit: summa auctoritate errores & blasphemias Phariseorum confutavit: egrotos sanavit: cecis visum restituit: surdis aures aperuit: obsessos à demonibus liberavit: leprosos curavit: mortuos in vitam reuocavit: miseros peccatores in gratiam recepit: Et voce sua collegit Ecclesiam in omni eternitate cum Deo victuram. Destruxit ergo Satanae tyrannidem: retraxit electos ex faucibus Satanae: solida iecit fundamenta suae Ecclesiae. evidentissimis miraculis demonstravit suam doctrinam: vocavit apostolos, per quos in totum orbem verbi sui lucem erat sparsurus: & ministerium spiritus instituit. Hoc certe dominari erat, & regnum suum ampliare in medio hostiū. Neq; dominium eius interceptum, vel impeditum fuit, quod adeo contumeliose à suis

suis exceptus; & adeo crudeliter cruci ad-
 fixus est: Hæc enim fuit conditio huius re-
 gis. Atq; ipsa passione & morte gloriosissi-
 me dominatus est: sic enim vicit peccatū,
 mortem, Satanam, infernum: sic impetra-
 vit toti Ecclesie iusticie imputationem, li-
 berationem à legis maledictione, & ater-
 na vite donationem. Ac tertia die resur-
 gens ex morte & cœlesti atq; aterna vita
 ornatus: ostendit se omnium hostium su-
 orum victorem esse. Hac ipsa ratione de-
 monstravit insignem gloriam, & peculi-
 arem proprietatem sui spiritualis regni:
 Mundani enim reges cum undiq; cincti
 sunt hostibus, & in medio inimicorum
 versantur, dum perfidos habent consilia-
 rios: inter proditores, vel seditiosos vivunt,
 dum in odio sunt subditorum: neq; vlllo
 modo emergere neq; officia regia obire, neq;
 diu consistere possunt: sed necesse habent
 concidere. Iulius Cæsar, quia inter perfidos
 versabatur amicos, in curia est interfecto:
 Nero quia senatum habet aduersum, sibi
 consciscit mortem: Mauritius Imperator,
 quia in odium venerat apud militem, à
 Phoca

DE REGNO

Phoca, trucidatus est. At Messias licet undique, cinctus sit hostibus, perfidis amicis, proditoribus, falsis fratribus, hypocritis, Epicureis, sycophantis, qui saltem simulant pietatem: non tamen opprimitur: sed in medio hostium dominatur. propagat lucem Evangelij: destruit opera diaboli: reprimit hostium conatus: ad Deum conuertit rebelles: & gloriose colligit Ecclesiam. Vtq; Christus dominatus est in medio hostium suorum, dum vixit inter homines, & opus redemptionis perfecit: Ita omnibus aetatibus colligit Ecclesiam. Paulus apostolus dum circumfert in mundo Euangelion Christi, & in omnibus nationibus vocat homines ad agnitionem Dei: cingitur passim multiplicibus hostibus: struunt ei insidias Iudaei: persequuntur eum gentiles: calumniantur eum falsi fratres: & quocumq; se vertit, pessime tractatur: Christus tamē per Paulum dominatur inter tot hostes: felici enim successu propagat Euangelion inter gentes: passim constituit Ecclesias: euertit Ethnicum idolorum cultū: & plurimos homines retractos ex faucibus

bus Satanae vocat ad societatem vite aeterna.

Non ergo turbemur hostium Christi multitudi-
ne. Pij pastores plerumq; cincti sunt
varijs & acerbissimis, & virulentissimis
hostibus. Ingrati auditores deformant eos
conuitijs: politici gubernatores exilia &
carceres minantur: Sycophantae lacerant
eos horrendis calumnijs: falsi fratres tur-
pissime deserunt, & scelerate produnt eos:
fanatici doctores, & corruptelarum patro-
ni abducunt ab eis auditores: & insimu-
lant eos blasphemiae doctrina: Quis spera-
ret in tanta hostium multitudine & rabie,
pastorem tutum fore, & cum fructu Euan-
gelion sonare? At erigit nos spiritus san-
ctus, & iubet nos bono esse animo: abdu-
cendi sunt oculi ab illa hostium multitu-
dine, & in Christum respiciendum: eum
necesse est in medio hostium suorum do-
minari: Ille proteget te in tabernaculo suo
à contradictione linguarum: Psalm: 31.
Tuebitur te donec absolvas curriculum
tuum: Ipse efficiet, ut verbum Domini nõ
redeat ad ipsum vacuum. Tu perge tan-
tum,

DE REGNO

tum, & constanter fac officia vocationis: in periculis commenda te Deo: animadverte tandem laborem tuum non esse inanem in domino: sed voce tua multos adduci Christo: confirmari in veritate, & ad eternam beatitudinem perducere: Quia Christus dominatur in medio inimicorum suorum, neq; vlllo vnquam tempore passus est sibi imperium eripi, aut officium suum impediri.

Etiam si supremos dignitatis gradus obtineant impij: Etiam si & consilia inter se communicent: & vires coniungant: etiam si omni conatu, fraude & vi studeant impedire cursum Euangely, & Ecclesie collectionem: tamen vel inuitis inferorū portis perumpet Christus: sparget Euangely lucem quam latissime: conseruabit doctrinae caelestis studia: vocabit homines ad pœnitentiam: distribuet dona spiritus sancti: edificabit Ecclesiam: & successu prosperrimo summos reges, & amplissimas gentes ad agnitionem veri Dei transferet. In impurissimi imperatoris Claudij aula, & nequissimi hominis Narcissi familia habuit

habuit Deus suos, quos per Paulum ad fidem conuertit, Rom: 16. Quanta turpitudines fuerunt Corinthi, Athenis, Ephesi, Romæ? qui tumultus? quæ seditiones? Et tamen inter hos vocem apostolorum voluit exaudiri: nec fuit hoc absq; fructu: sed conuertit multos ad fidem, & nobiles passim constituit Ecclesias. Aegyptus fuit pollutissima idolis, & alijs sceleribus, & palā professā est se hostem Apostolicæ doctrinæ: Nihilominus viam sibi fecit dominus, & dominatus est in medio eorum: accendens inter eos lucem Euangelij: taxans eū euertens idola, & multos ad Ecclesie societatem accersens.

Non ergo turbemur, aut animum despondeamus, cum videmus tot immanes hostes circumstare pastores, eosq; propter ministerium verbi undiq; oppugnari: In ipsa quoq; Ecclesie societate, paucos prestare fidelitatem: multorum fratrum detestandam esse perfidiam: & cum hostibus collusionem: Christus dominatur in medio inimicorum: Ipse omnes hostes in sua habet potestate: delere potest tyrannos

H quando

DE REGNO

quando vult: Rabiem hereticorum potest
reprimere, quando ipsi est visum: de pro-
ditoribus & falsis fratribus sumit tandem
graue supplicium, ut exempla Iuliani Va-
lenti, Arrii, Nestori, Olympij: Iude testan-
tur.

Neg, eo dominium Christi minuitur:
neg, hinc hostium victoria ostenditur,
quod Prophetae, apostoli, martyres, à tyran-
nis saepe trucidantur. Hos ipsos enim cor-
roborat spiritus & fide, ut in supplicijs sint
superiores mundo, quantum existebat ro-
bur in Agnete, de qua poëta canit: Ibat
triumphans virgo Deum patrem Chri-
stumq, sacro carmine concinens? Ac re-
suscitaturus est hos suos milites, in extre-
mo iudicio, ac tum liquido apparebit glo-
ria & felicitas regni Christi: Itaq, precio-
sa est in conspectu domini mors sanctorum
eius: Psal: 115. Tyranni vero Luxu non vix
se se efferunt, dum gloriantur se homines
sanctos oppressisse. Instat enim dies quo
grauissimas pœnas effusi innoxij sangui-
nis luent: Ut tandem Saul, Achab, Baltha-
sar, Licinius, & alij innumeri dederunt:
&

IESV CHRISTI.

58

& in aeternis cruciatibus omnes impij,
quando terra reuelabit suos sanguines, da-
turi sunt. Iesa. 26.

Populus tuus spontaneus in
die victoria tua in ornatu san-
cto: Ex viro aurore (descen-
dit) tibi ros generationis tuae.

Etsi magna pars mundi non sit obtem-
peratura Euangelio Christi; sed cum
exitio suo aeterno oppugnatura veritatem:
Et tyranni & haeretici permissuri non sint,
ut coeant catus Christi: tamen omnibus
temporibus habiturus est Christus Ecclesi-
am quae testimonium dicat de ipso, ipsius
profiteatur Euangelion: & palam eius no-
men celebret. Nec futura sunt infinita di-
stractiones: sed Christus habiturus est cae-
tum aliquem publicum & notum, in quo
sonet vox ministerij: qui exerceat iudicia
spiritualia, & refellat blasphemias. Hanc
ergo consolationem firmiter teneamus:
semper esse & manere Ecclesiam, quales

H 2 cunq

DE REGNO

cunq; sunt imperiorum ruina & conuer-
siones: Firmum est fundamentum habens
hoc sigillum: Dominus nouit suos: 2. Ti-
moth: 2.

Erit autem hic populus
spontaneus.

NON cogetur vi & armis, licetoribus
& supplicijs, ut in imperijs usitatum
est: neq; etiam lege impulsus animo inui-
to seruiet Christo: sed spiritu spontaneo du-
cetur: Regnum Christi vim patitur, &
violenti rapiunt illud: Magna animorum
alacritate confluent ad Christum: studio
promptissimo amplectentur Euangelion:
ingenti letitia sequentur Christum: eo
quod per ipsum accipiunt remissionem
peccatorum, & heredes constituuntur vi-
tae aeternae. Nullis hostium minis, nullis ex-
ilijs, nullis periculis, nullis supplicijs à con-
fessione nominis Christi abduci poterunt;
regenerati enim sunt per spiritum sanctū:
& noui homines facti, qui pluris faciunt
caelestem cum Deo consuetudinem, quam
omnia

omnia vitæ bona. Tyranni Romani tantam exercuerunt crudelitatem erga Christianos, ut tandem ipsi fracti & fatigati sunt, & obriguerint manus carnificum. Annotatum est in historijs in imperio Romano uno mense 17. millia Christianorum per tyrannos trucidata esse. Nostra memoria in inferiore Germania paucis annis ultra 100. millia hominum Euangelij causa extincta sunt. Nec tamen hoc obtinere possunt Tyranni, ut Christiani abijciant Euangelion, & deficient à Christo: tanta est promptitudo, & tantus fidei ardor in credentibus. Vnde est illa animosa vox Vincentij Martyris apud Prudentium:

Age ergo quidquid virium,

Quidquid potestatis tibi est,

Palàm reluclor, exere:

Vox nostra quæ sit, accipe:

Est Christus & pater Deus,

Serui huius & testes sumus:

Extorque si potes fidem.

Discrimen illustre hic monstrat inter populum legis & populum noui testamenti: legis populus etsi præstat aliquam obedi-

H 3 entiam:

DE REGNO

entiam, circumcisionem seruat, abstinet
ab immundis animalibus, offert sacrificia,
& praeſtat externam disciplinam: omnia
tamen facit inuito animo, repugnante na-
tura, & fremente aduersus legem. Non di-
ligit Deum ex toto corde, & tota anima:
potius hypocrisi simulat obedientiam:
Quia retinet naturam peccato corruptam,
& à Deo auersam. Neq; legis ea est vir-
tus, ut peccato corruptam naturam trans-
formare, & spiritum largiri possit. Quin
potius denunciando Dei iram, monstrando
nostram immundiciem, minitādo mortem,
& nos graui maledictione premendo: au-
get peccatum, & iram in nobis accendit,
ut legem non esse malleamus, quam quod
eius obedientia delectemur. Vnde mani-
festum est, legis populum sua disciplina &
obedientia coram Deo iustum non esse:
quantumuis enim laboret, & nitatur: ta-
men veram legis iustitiam, quam spiritua-
lem esse oportet, non praeſtat.

At longe alius est populus noui testa-
menti: hic non patietur se cogi legum
vinculis aut edictorum minus: sed animo
promptissimo

promptissimo accurret ad Christum, seruiet domino: neq; ullis supplicijs se à cultu & confessione Christi abduci patietur.

Neq; tantum discrimen monstrat inter populum veteris et noui testamenti: verū etiam docet vetus testamentum aduentum Messiae abrogatum iri, & populum Israel à Deo iri reiectum: Deum vero ex Iudaeis & gentibus collecturum Ecclesiam. Dum enim dicit Messiam habiturum populum nouum spontaneum, qui non ita cogetur legibus, minis, supplicijs: diserte ostendit, sacerdotium & politiam Mosaicam, non amplius duratura esse. Concident ergo omnia sacrificia, abolebitur circumcisio, et Mosaica ceremonia, & leges abrogabuntur. Nec semen Abrahae amplius erit populus Dei: sed Ecclesia conuersa ad Deum ministerio Euangely, ex Iudaeis & gentibus collecta, nouus populus erit Messiae. Tempore Christi filij Israel licet circumcisi: adeo non fuerunt Dei populus, ut Christus non habuerit vsquam terrarum acerbiores hostes. Remouit igitur Deus eos à facie sua, & deleuit prorsus totam politiam,

DE REGNO

Gentes vero ad Ecclesie societatem adsciuit.

In die virtutis tue.

VBI congressus fuerit Christus cum peccato, morte, ira Dei, maledictione legis, Satana & inferno, & hostes hos omnes superauerit & resurgens tertia die gloriosus victor apparuerit, & deinde in cælum ascenderit: copiosam colliget Ecclesiam, & populum habiturus est promptissimum. Hec enim est efficacia mortis & resurrectionis Christi, quod consilium domini de destruendo regno peccati, & liberando genere humano prospere succedet per manū eius.

Admiranda plane ratio consilij diuini: Christo in cruce pendente & animam effundente, iudicabat ratio actum esse de Messia & tota Ecclesia: Quæ enim spes reliqua esse poterat capite oppresso: At tum maxime victoria potitus est Christus, superatus & deletis omnibus hostibus. Et spiritu à patre impetrato felicissimo successu collegit ex toto orbe Ecclesiam.

IN

In ornatu sancto.

HOC est in veste sacerdotali: Omnes fideles futuri sunt sacerdotes: ut Iesa: 61. Et dicitur ad vos: Vos omnes sacerdotes Dei altissimi vocabimini. Metaphorice autem hic ornatus est intelligendus, non de extremo vestitu: sed de spiritali obedientia. In nouo testamento non erit distinctio inter sacerdotes & populum, qualis fuit in veteri testamento: quin omnes fideles sacerdotes sunt futuri, uncti spiritu sancto, & offerentes hostias spirituales acceptas Deo per Iesum Christum. 1. Pet. 2. sanctus ornatus est, quod fideles Christum ipsum induerunt, & iustitia ipsius sunt vestiti: per fidem enim imputatur nobis tota Christi obedientia, ut in conspectu Dei non aliter iusti habeamur & simus, quam si totam legem obediendo impleuissemus. Hic sanctissimus est ornatus, quo Deus imprimis delectatur. Paulus inquit: Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis: & Iesaias inquit: Gaudens gaudebo in domino, & letabitur anima mea

H S in

DE REGNO

*in Deo salutis mee. Quia induit me
vestimento salutis, & indumento iustitiæ
circumdedit me. Quasi sponsum ornatum
veste sacerdotali.*

*Hic ornatus non consistit in nostra puri-
tate, neq; in obedientia vel virtute nostra:
sed in Christi merito & clementia qua no-
bis imputat et applicat suam obedientiam,
et iusticiam, qua legem implevit: Ego in-
quit Christus sanctifica me pro eis, ut &
ipsi sint sancti, Ioh: 17. Ita sancta est Ec-
clesia, & libera ab omni peccato imputa-
tione per fidem in Iesum Christum.*

*Est et aliter ornatus Ecclesie sanctus:
nimirum quod donatur spiritu sancto, qui
nova luce mentem illustrat: paulatim ab-
stergit peccatum: voluntatem flectit ad
spontaneam erga Deum obedientiam: or-
nat animum multis et magnis virtutibus:
agnitione Dei, inuocatione, gratiarum ac-
tione, alacri confessione nominis diuini,
studio discendi verbum Dei, reuerentia
erga ministerium, humilitate, patientia
diligentia in vocatione, dilectione proxi-
mi, castitate, temperantia, mansuetudine,
candore,*

andore, veritate, & similibus virtutibus.

Conspiciuntur & in ethnicis quedam virtutum simulacra: Iusticiæ studiosior fuit Aristides quam Themistocles: Scipio continentia exemplum edidit: Camillus moderationis: Regulus constantis fidei. Verum hæc non fuit ornatus sanctus: destituti enim fuerunt iusticia imputata. Præterea non veræ virtutes, sed simulacra tantum fuerunt: siquidem à spiritu sancto nõ fuerunt accensæ: neq; regebantur expresso Dei verbo.

Neq; Phariseorum, quantumvis conarentur legi obtemperare & virtutibus niteri: sanctus fuit ornatus. Quia enim in lege fiduciam collocarunt, caruerunt iusticia imputata, sine qua impossibile est placere Deo: Omnes enim sordes & peccata, herent in homine non reconciliato per fidem in Christum. Et tota illa disciplina quam præstiterunt Pharisei, tantum mortua fuit litera, non spiritus, ut Luc: 18. Phariseus prædicat quidem sua opera: sed est expers fidei, spiritus, & regenerationis. At fidelium ornatus sanctus est, imputati-

one

DE REGNO

one per fidem, & renouatione per spiritum
sanctum.

Ex utero aurora (venit)
tibi ros generationis tuae:

Variae sunt huius versiculi interpreta-
tiones. Athanasius in oratione con-
tra Arrianos ad aeternam filij Dei genera-
tionem ex substantia patris transfert: Ve-
rum hoc coactius est: Alij de natiuitate
Christi, ex virgine sine virili semine ex-
ponunt: & mouentur voce uteri, ut hanc
sequantur interpretationem, etiam nostrae
aetatis Theologi: Verum quia praecedenti
versiculo, de Ecclesia & populo regis dixit,
concinnius est hunc versiculum de gene-
ratione, & propagatione Ecclesiae intellige-
re. Cum audiunt piij fore ut deleatur sa-
cerdotium Leuiticum & politia Mosaica,
mirantur quomodo igitur generari & pro-
pagari Ecclesia poterit in nouo testamento.

Respondet spiritus sanctus: Quemad-
modum ros aurora ex oriente de caelo gene-
ratur, & terra superficiem regit: Ita per
verbum

Verbum de caelo patefactum & caelesti plane operatione spiritus sancti, Ecclesia, quae est populus huius regis, per uniuersum orbem generabitur, colligetur, & propagabitur. Quemadmodum & Ioannes inquit: Dedit illis potestatem filios Dei fieri: qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Ioh: 1. Et Christus Ioh. 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non videbit regnum Dei. Ros ergo generationis Ecclesiae, est verbum Dei de caelo reuelatum. Vnde Petrus 1. Pet: 1. Regenerati non ex semine corruptibili sed incorruptibili per sermonem Dei uiuentis, & in aeternum manentem. Aurora vero ueterum uocat metaphorice, ut doceat spiritualem & caelestem plane fore hanc generationem. Quemadmodum Christus testatur: Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ioh: 3. Ecclesia Christi non nascitur carnali procreatione ex sanctis patribus, ut somniabant Iudei: neq; liberi arbitrij uirtute, aut carnis prerogatiua constituitur: sed diuinius per spiritum sanctum propagatur.

Quemad-

DE REGNO IESV CHRISTI.

Quemadmodum etiam ros in totam
terra superficiem spargitur: ita per totum
orbem magna frequentia colligetur Eccle-
sia in omnibus regnis & nationibus. De
generatione igitur, & propagatione Eccle-
siae concinnius hic intelligitur versiculus.
Etsi sacerdotium Aaronis abrogabitur:
Politia euertetur: & tota posteritas Abra-
hae dissipabitur: erit nihilominus Ecclesia,
quae agnoscat, & colat mediatorem. Mi-
nisterium enim spiritus, quod instar rosis
spargetur per totum orbem erit efficacissi-
mum: Plurimas gentes conuertet ad agni-
tionem veri Dei, & ad fidem in domi-
num nostrum IESVM CHRISTVM.
Paulus à Ierosolymis usq; in Illyricum,
omnia repleuit doctrina Euangelij: colle-
git Ephesi, in Antiochia Pisidia, in Lystra,
Derben, Berrhoea, Philippis, Thessalonica,
Corinthe, Athenis, Roma, & plurimis
in locis frequentem Ecclesiam:
sic & ceteri apostoli.

Iurauit.

*Iuravit Dominus: & non
pœnitebit eum: Tu es sacer-
dos in æternum, secundum ordi-
nem Melchizedeck.*

DE SACERDOTIO IESV CHRISTI.

H A Tenus de regno Christi spirituali est
concionatu: & ostendit quale illud
sit futurum, & quomodo ab alijs mundi
imperijs sit discernendum: Nunc etiam
sacerdotem constituit Messiam. Atq; hic
rursus conuellit, turbat, & evertit politiam
Mosaicam: in qua distincta erant tribus
regia, & sacerdotalis. In regem eligi non
poterat, nisi qui esset de domo Davidis:
Sacerdotis munus gerere nõ potuit, nisi qui
fuit ex stirpe Aaronis: Nefas fuit in politia
Mosaica, regem capescere officia sacerdo-
rum. Hic vero spiritus sanctus neglecto
hoc discrimine, & regium honorem, & sa-
cerdotale munus, tribuit uni Messia. Ex-
presse

DE SACERDOTIO

preſſe ergo ſignificat, non perpetuo duraturam formam politiæ Moſaica: ſed externũ regnum, & ſacerdotium Leuiticum abrogandum eſſe: Meſſiam vero ſpirituale regnum inchoaturum: ſpirituale quoq; ſacerdotium conditurum, ac ſuſcepturum, longe diſſimile Aaronico. Ac primo adfirmat iureiurando hoc Dei decretum ſtabilitum eſſe.

Iuravit Dominus: & non penitebit eum.

Deſumptum autem eſt iuramentum ex cap. 22. Genes: Per memetiſſum iuravi, dicit Dominus. Quandoquidem rem hanc feciſti, nec peperciſti filio tuo unico, certiſſime benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, & in ſemine tuo benedicentur omnes nationes terra: Propterea quod obediſti voci meæ. Repetitur hoc iuramentum Genes: 26. ad Iſaac: Confirmabo iuramentum, quod iuravi Abraham patri tuo, et multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli: & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terra. Pluri-

Plurimi fecerunt hoc iusiurandum cū
 patres in veteri testamento, tum sancti in
 nouo testamento: Psal: 105. Memor fuis
 fœderis sui, quod pepigit cum Abraham, &
 iuramenti sui cum Isaac: Psal: 132. Iura-
 uit Dominus David veritatem: & non
 frustrabitur eum, de fructu ventris tui po-
 nam super sedem tuam, Psal: 89. Semel
 iuravi per sanctitatem meam: non men-
 tiar Davidi: semen eius in æternum ma-
 nebit. Iere: 11. Vos eritis mihi populus: e-
 go autem ero Deus vester: ut confirmem
 iusiurandum quod iuravi patribus vestris.
 Sic & Zacharias in nouo testamento Luc:
 1. allegat magna leticia animi, iuramen-
 tum Dei: iusiurandum, quod iurauit A-
 brahæ patri nostro, ut daret nobis, ut sine
 timore de manu inimicorum nostrorum
 liberati, seruiremus ipsi in sanctitate &
 iusticia coram ipso, omnibus diebus vite
 nostre. Ac sane ingentem adfert consola-
 tionem, & ineffabilem excitat leticiam:
 si quis in timore domini expendat hoc Dei
 iuramentum: satis superq; fuit quod Deus
 voluntatem suam in verbo patefecit: Se-
 I . . . mens

DE SACERDOTIO

ven mulieris conteret caput serpentis.
Præsertim cum toties hanc Evangelij pro-
missionem repeituerit Deus: Ac meretur
sane apud nos fidem pater æternus? si vel
nutu suam nobis patefaciat voluntatem.
Est enim Deus ipsa veritas: & mentiri
non potest. Quantum vero scelus est, nos,
cum eius opus, & creatura simus, ei fidem
non habere? Succurrit tamen infirmitati
nostræ clementissimus Deus: Aspicit tri-
stem mentis nostræ caliginem offusam ei
per peccatum: Videt voluntatis nostræ le-
uitatem, quæ momento tenui se alió abdu-
ci patitur: Nouit Deus quam varijs technis
& fraudibus impugnet nostram fidem
impurus ille spiritus: aliás exaggerando
peccatum, in desperationem nos precipita-
re: aliás persuasione iusticiæ nos fascinan-
do, in securitatem immergere conatur: Ac
indignitate & immundicie nostræ ob ocu-
los nostros versante, existimamus fieri non
posse, ut Deus sanctissimus, atq; peccatorum
vindex acerrimus, tam clementem se præ-
stet peccatoribus: qui iram eius multis pro-
uocarunt sceleribus: & honorem eius hor-
rendis

rendis conspurcarunt blasphemys. Cum mundi intuemur extremam ingratitude-
nem, & animo contemplamur deploratam
eius maliciam, quæ in dies maiora sumit
incrementa: metuimus ne Deus prouoca-
tus ad iram mutauerit consilium suum,
& retractarit promissionem. Nec vlla o-
ratione exponi potest, quantus & quam
varijs tentationum procellis, quassetur fi-
des, dum conatur in promissione acquie-
scere. Vtergo omnium dubitationum an-
sam præscindat Deus, omnibus occurrat
tentationibus, & vniuersæ diffidentiae
prætextum auferat: non solum promissit
se missurum esse Messiam, & per eum li-
beraturum nos à peccato et morte: verum
etiam iureiurando stabiliuit hanc promisso-
sionem.

Vnde author epistolæ ad Hebræos cap. 6.
Qua in re Deus cum eximie vellet here-
dibus promissionis ostendere firmitatem
consilij sui, interposuit iusiurandum, ut
per duas res immutabiles, siquidem fieri
non potest, ut Deus mentiatur: validam
consolationem haberemus, qui huc confu-

DE SACERDOTIO

gimus, ut potiamur proposita spe, quam velut anchoram tenemus animæ, cum tutam, tum firmam: simili gravitate Tertullianus urget certitudinem, & amplificat maiestatem Iurisiurandi, lib. de pœnitentia: Deus non præcipit tantum; sed etiam hortatur: Inuitat præmio salutem: iurans etiam: Vivo dicens cupit credi sibi: O beatos nos quorum causa Deus iurat: O miserrimos, si nec iuranti domino credimus. Infigamus ergo imis pectoribus nostris, quod æternus Deus, et pater clementissimus, non solum constanter promisit: sed & sancte iuravit, quod filium mittere velit, eumq; constituere sacerdotem: quem & misit, quodq; per & propter filium velit nobis esse propicius, remittere peccata, liberare ex morte, & de manu omnium hostium nostrorum, & nos adoptare in filios, & heredes vitæ æternæ. Cuiuscunq; generis tentationes nobis obijciantur, mox reuocemus in memoriam: Deum nostra causa, iuramento confirmasse suam promissionem, ut omni diffidentiarimas obstrueret, & fidei nostræ firmissimam

simam præberet anchoram. Rursum vero etiam expendamus, quam horrenda sit impietatis, quam prophani furoris, quam deplorata blasphemia, ne iuranti quidem domino velle adhibere fidem. Iohann. Apostolus in epistola inquit: Qui non credit, mendacem facit Deum: eadem consequentia colligitur: Qui non credit, periurij accusat Deum. Non solum enim promisit, sed & iuravit Deus, quod pœnitenti velit remittere peccata, & eum confortem facere cœlestis regni. Et reluctemur igitur diffidentia: Et adsidue precemur Dominum, ut per Spiritum sanctum fidem in nobis exuscitet, nec sinat nos in tam horrendam blasphemiam prolabi.

Postquam iuramenti diuini pondus in timore Domini considerauimus, expendamus porro, quomodo Spiritus sanctus hunc sacerdotem describat: Tu, inquit, es Sacerdos. De summo pontifice, cuius typum gerebat summus sacerdos in populo Israël, haud dubie loquitur.

Est ergo summus sacerdos, persona immediate vocata & constituta à Deo, ut

DE SACERDOTIO

agat inter Deum & homines, Dei arcum consilium, & clementissimam voluntatem de liberatione generis humani, hominibus reuelet: intercessione sua & victima à Deo constituta, Deum generi humano reconciliet: aboleat peccatum & mortem: auferat legis maledictionem: restituat iustitiam & vitam: et colligat sanctam Ecclesiam: in qua Deus recte agnoscat, inuocetur, colatur, & in omni aeternitate celebretur.

Huius descriptionis fundamenta passim in veteri & nouo testamento sparsa sunt: Ac epistola ad Heb. cap. 5. inquit: Omnis pontifex ex hominibus adsumtus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. De intercessione ad Deum loquitur Ps. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem: de sacrificio summi sacerdotis. Iesa. cap. 53. loquitur: Cum dederis animam suam hostiam pro peccato videbit semen longæuum. sed ordine videamus officia huius sacerdotis.

Primum officium summi sacerdotis est
ut pro

ut proferat ex sinu aeterni patris arcanum
 consilium & decretum, de redemptione ge-
 neris humani, de abolendo peccato et mor-
 te, & colligenda Ecclesia, quæ in omni æ-
 ternitate cum Deo victura est. Legis qui-
 dem noticia insita fuit menti humane in
 creatione: Verum quia lapsus fuit homo
 in mortem per peccatum, & auulsus à ca-
 pite Deo: ex legis sapientia, nihil nisi i-
 ram Dei, & legis maledictionem, & æter-
 num exitium statuere potuit. Consilium
 verò de redimendo genere humano per me-
 diatorem: uniuersæ creaturæ erat abscon-
 ditum. Itaq; ipse unigenitus Dei filius, qui
 ingreditur in arcanum consilium patris æ-
 terni, & totum pectus patris introspicit,
 suscipit in se summi sacerdotis munus, &
 ex sinu aeterni patris proferit hoc consilium,
 quòd per filium mediatorem & victimam
 velit obsignare peccatum: abolere legis
 maledictionem, destruere mortem: & in-
 staurare sempiternam iustitiam. Vnde Io-
 annes inquit: nemo Deum vidit unquam:
 filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit
 nobis. Ioh. 1. & Ps. 2. Prædicabo decretum

DE SACERDOTIO

quod Dominus dixit ad me: filius meus es tu: ego hodie genui te. Et Christus loquitur de hoc suo sacerdotali munere: Ioh. 17. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.

Etiam Aaronici sacerdotes hoc muneris habebant, ut populum docerent cum legem tum promissionem de Messia: Verum summus hic sacerdos hanc habet prerogativam, quod ipse lucem Evangelij ex sinu aeterni patris attulit: Nec solum foris sonat Evangelij vocem; verumetiam spiritu suo illuminat mentes, & accendit in corde noticiam Evangelij, & flectit animos ad adsentiendum: Ioh. 1. Est autem lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 2. Cor. 4. Deus qui iussit lucem ex tenebris splendere: splendorem dedit in cordibus nostris, ad illuminationem cognitionis gloriae Dei, in facie Iesu Christi. Vanae sunt igitur et damnatae omnes religiones et conatus, quibus homines Dei iram auertere, & aeternam vitam mereri tentant, quos summus hic sacerdos Iesus Christus ex sinu patris aeterni nov

ni non attulit: concidit hinc uniuersa monachorum religio, totus papatus, abominations missarum, Ethnicorum stolidas & impura sacrificia. Et recentium Iudeorum deliramenta.

Promissionem vero Euangelij de gratuita remissione peccatorum, & reconciliatione cum Deo per mediatorem, necesse est certissimam esse, eo quod per unigenitum Dei filium, qui optime nouit voluntatem patris, & ab aeterno fuit apud patrem, & omnium diuinorum consiliorum est conscius, reuelata est. Atque ideo summum hunc sacerdotem oportuit esse aeternum Deum: & ut ex sinu patris hoc arcanum mysterium proferret: Et ut nos redderet certos de Dei erga nos clementi voluntate.

Secundum officium est ad quod hic summus pontifex à Deo est constitutus: ut intercedat pro genere humano apud aeternum patrem: fiat supplex patri: & intercessione sua iram patris accensam nostris peccatis, sedet atque extinguat, atque ita viam nobis faciat ad Deum accedendi. hinc

DE SACERDOTIO

epistola ad Heb. cap. 5. inquit: Christus in diebus carnis suae, preces & supplicationes cum clamore valido, & lacrymis obtulit Deo, qui potuit eum ex morte eripere, & exauditus est propter reuerentiam & pietatem. Et Iob. 17. Fungitur suo officio Christus: Ego pro eis rogo, inquit: non pro eis tantum rogo: sed pro omnibus, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint. Iesaias quoque vaticinatus est de hoc officio summi sacerdotis: cap. 53. Et pro transgressoribus rogauit. Et historia passionis Christi idem testatur: Luc. 22. Pater inquit condona eis: quia nesciunt quid faciunt.

Habet autem hic summus sacerdos promissionem à Deo certam, quod preces eius effusa pro genere humano non sunt irritae, sed certo exaudiantur: Ps. 2. inquit Deus ad filium: Postula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre: Nihil ergo denegat pater aeternus filio precanti: sed exaudit eum clementissime: summa haec est consolatio pie menti: quod audit Christum filium Dei

Dei summum à Deo constitutum pontificem, pro Ecclesia preces facere, & assidue intercedere, ut aeternus pater remittat nobis peccata: det nobis spiritum Sanctum: defendat nos contra insidias Sathanae, & custodiat nobis aeternae vitae hereditatem.

Totum genus humanum, quia prolapsum est in peccatum, & auulsum à Deo: ius non habet vel aquae guttam, vel micam panis petendi à Deo: sumus enim natura filij irae. Neque ullus ex tota Adae posteritate auderet prodire in conspectum aeterni Dei, petiturus aliquid ab ipso: nisi summus hic pontifex viam nobis fecisset. Natura enim cum simus alieni à Deo, et conscientia nostra arguat nos de peccato: fugimus iratum Deum, tanquam seuum iudicem. At hic summus sacerdos purus ab omni peccato, & ornatus perfecta, & omnibus numeris absoluta iusticia, viam nobis aperit ad Deum patrem. Primum placat eius iram sua intercessione: ac preces fundens pro tota Ecclesia, clementer exauditur: Deinde & nobis hoc ius impetrat.

DE SACERDOTIO

erat, ut liceat nobis in conspectum Dei propitij & placati prodire, atq; in nomine Iesu Christi omnia à patre aeterno petere: Ioh. 16. Quaecunq; petiueritis patrem in nomine meo dabit vobis. Atq; ipse pater aeternus reconciliatus intercessione filij sui, iubet nos audacter petere, & promittit nobis exauditionem. Ps. 50. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Et ipse filius dicit: Ioh. 16. Non dico vobis, quod ego sim rogaturus patrem pro vobis: ipse enim pater vos diligit, quia me diligitis: & creditis, quod à patre exiui. Diserte dicit nos iam diligi à patre: & patere nobis aditum ad ipsum, ut in omni necessitate ipsum inuocemus. Non denegat nobis filius Dei suam intercessionē: Est enim ad dexteram Dei, & semper intercedit pro nobis: Rom. 8. Et antea dixit: Ego rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis, qui vobiscum manebit in aeternum: Ioh. 14. Sed ne imaginemur solum Christum hoc ius habere accedendi ad Deum: & ne conspectu nostrae indignitatis et immundicie fugiamus Deum:
iubet

iubet nos Christus una cum ipso accedere ad Deum: & fiducia paterni amoris Dei erga nos, & in nomine mediatoris omnia bona ab ipso petere. Non ergo suam excludit petitionem: sed nostram simul flagitat, ac iubet nos de exauditione certos esse.

Quid ergo excrucias animum tuum o calamitose? quid te fatigas vanis consiliis? cur contabescis metu in arumnis et periculis? submissa & ardenti inuocatione confugas ad excelsum eterni patris thronum: flagranti pectore implora eius auxilium: audaci fiducia tange genua patris: Nec desistas a precando, donec consolationem & auxilium impetraueris. Ipse enim unigenitus Dei filius summus pontifex, hoc ius accedendi ad Deum nobis meruit sua intercessione: Ipse Mediator, cui pater nihil negare potest, adsidue reddit nobis placatum patrem: nostram salutem eius bonitati commendat: & precibus nostris magnum pondus addit: Ipse Deus paterno amore nos complectitur, & petitione & fiducia nostra delectatur. Atque etiam iubet ut confidenter petamus: Inuoca me, in-

quis

DE SACERDOTIO

quit in die tribulationis, & eripiam te, et glorificabis me: Ps. 50. Sponte etiam obstringit se ad exauditionem Iesa. 65. Eritque antequam clament ego respondebo: ipsis adhuc loquentibus, ego exaudiam. O immensam felicitatem nostram si nostrum hoc bonum intelligimus: si pontificem nostrum fide intuemur: si confidenter in omni necessitate ad Deum accurrimus: si patienti animo, & spe firma Dei auxilium expectamus.

Vi autem ingens est consolatio, quod summus sacerdos precatur Deum pro nobis: & nobis simul aditum facit ad Deum: Ita comminatio gravissima est, quod filius Dei dicit se non intercedere pro mundo: Iob. 17. Non rogo pro mundo, sed pro his, quos mihi dedisti: quia tui sunt: Et Ps. 16. Non libabo libamina eorum de sanguine nec ad sismam nomina eorum per labia mea. Negat filius Dei se precari pro mundo, pro idolatris, hypocritis, proditoribus suorum fratrum, Epicureis, sectariis blasphemis, impænitentibus: & obstinatis persecutoribus veritatis. Manet ergo ira
Dei

Dei super eos: neq; licet eis accedere ad Deum, & vel minimum à Deo petere: Imo oratio ipsorum sit in peccatum. Ps. 109. Quia sine mediatore & summo pontifice ad Deum accedere conantur.

Tertium officium summi sacerdotis est ut seipsum offerat victimam Deo pro peccatis generis humani. Hic enim Messias noster, & sacerdos simul est & victima: Taurorum enim & hircorum sanguine non placatur ira Dei, neq; expiatur peccatum: Oportuit autem satisfieri iusticiae Dei pro peccato generis humani, oportuit penam inobedientiae constitutam persolvere: Dixerat Deus: Quacumq; die de arbore ista comederis, morte morieris: Gen. 2. Hoc Dei decretum labefactari non potuit: neq; veritas Dei in dubium vocari debuit: summus ergo sacerdos & mediator in se recipit omnem culpam generis humani: sinit in se deriuari totam iram patris, nostris peccatis accensam, sit maledictum in ara crucis: effundit suum sanguinem, & subit mortem.

Qua sua obedientia satisfacit iusticia

DE SACERDOTIO

sticia Dei: confirmat eius veritatem, implet legem, & meretur nobis & condonationem omnium peccatorum, & imputationem iusticiae, & donationem spiritus Sancti, & hereditatem vite aeternae.

Huiusmodi ergo sacrificium hic sacerdos offert: quod sinit se maclari pro peccatis generis humani, & obedientia sua usq; ad mortem placat patris iram: & destruit regnum peccati. de hoc officio Ioh: Baptista loquitur: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ioh. 1 & Iesa: 53. Vbi posuerit animam suam hostiam pro peccato: videbit semen longaeuum: Et rursus: Disciplina pacis nostrae super ipsum: Et liuore eius sanati sumus: ad quod testimonium Iesae respexit Paulus ad Rom. 8. cum inquit: Nam quod impossibile erat legi, eo quod per carnem infirmabatur: id fecit Deus mittens filium in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum: ut nos fieremus iusticia Dei in ipso: de peccato: (inquit) damnauit peccatum). i. hostia pro peccato expiauit, & deleuit omne peccatum: ut iusticia a lege flagi-

flagitata ipsius merito et nomine nobis imputaretur. Et ipse filius Dei inquit Matth. 20. Filius hominis non venit, ut ipsi ministraretur, sed ut ministret, & det animam suam $\lambda\upsilon\tau\epsilon\sigma\upsilon\upsilon$ pro multis. Et in verbis institutionis Cœnæ: hoc est nouum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Luc. 22. & Ioh. 10. Ego pono animam meam pro ouibus meis: Et Paul. Coloss. 1. Christus nos reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem. Et 2. Corinth. 5. Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, hoc est, constituit hostiam pro peccato, ut nos fieremus iusticia Dei in ipso. Et Rom. 5. Si enim cum hostes essemus reconciliati sumus Deo, per mortem filij sui: quanto magis reconciliati seruabimur vita ipsius?

In hisce sacra scriptura sententijs spiritus Sanctus exposuit officium summi sacerdotis, quod à patre aeterno sit constitutus uictima pro peccato, ut sua morte iram Dei placaret, & genus humanum Deo reconciliaret. Ac passim testatur sacra scriptura uniuersam Dei iram huius

K

summi

DE SACERDOTIO

summi sacerdotis sanguine & morte extinctam, iusticiam diuinam satisfactam, legis maledictionem sublatam, vitam et iusticiam nobis impetratam esse: 1. Iob. 2. Iesus Christus est propiciatio pro nostris peccatis, non pro nostris tantum, sed pro peccatis totius mundi, & ad Heb. 10. Unica oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur. In omni ergo tentatione intueamur hoc Christi sacrificium, & satisfactionem pro peccatis: & statuamus fide Deum nobis per filij mortem placatum esse: & nos vere à Deo diligere.

Huc nobis respiciendum est, in terroribus conscientiae, quando euigilat & tanquam Leo rugit peccatum: in sensu irae Dei, quae est ignis consumens: in metu mortis & damnationis aeternae, quando cor & anima nostra contabescunt. Ac consolatione hac efficacissima animus erigendus, & confirmandus est: quod expiata, quod extincta, quod sepulta, quod in profundum maris peccata nostra praecipitata sunt. Tu falso persuades animo tuo, Deum tibi irasci propter peccatum: At ille omnium tuorum

um tuorum peccatorum dudum oblitus est: & te paterno amore complectitur. Tu fingis te lege accusari & maledicto premi propter peccatum: At summus pontifex Christus satisfecit pro te legi: persoluit penam: praestitit obedientiam: & te coronat aeterna benedictione. Spectra sunt quae obijcit Satanas, dum exaggerat peccata tua, & iniicit terrorem mortis: Quin tu potius exaggera inexhaustam Dei misericordiam: amplifica tu amorem summi pontificis, qui non dubitavit corpore suo te reconciliare Deo: pondera tu amplitudinem meriti Christi, qui sanguine suo tua abluvit peccata: extolle maiestatem rei, quod Deus pro te est mortuus: Ipse aeternus pater testatus est, uniuersam iram suam per filium sedatam, & extinctam, imo in paternum amorem conuersam esse Matth. 17. Hic est filius meus, quo unice delector, hunc audite. Iubet nos pater ut fiduciam omnem in filium collocemus: Vna cum filio suo, & nos vult complecti: adoptat nos in filios per ipsum: & constituit nos heredes vitae aeternae.

DE SACERDOTIO

Hanc consolationem efficacem si cordi tuo tanquam sigillum impresseris, subinde animo tuo inculcaueris, si oculus in eam defixis passus non fueris aliò te auocari: omnis terror conscientie, omnis sensus iræ Dei, omnis metus mortis & aeternæ damnationis euanesceat, ut nix à Sole resoluitur.

Quam vero immane scelus est posthabito & neglecto sanctissimo hoc sacrificio & expiatione peccatorum per summum Pontificem facta, humanis meritis, vitæ calibe, sacrificio missæ, vigilijs, ieiunijs, peregrinatione ad loca sancta, cilicio, vita monastica & similibus, velle expiare peccata: promereri vitam æternam: Atque ita filium Dei sua spoliare gloria?

O sancte et viue Deus, pater domini nostri Iesu Christi, qui immensa bonitate filium tuum unigenitum nobis dedisti summum Pontificem, & constituisti eum victimam pro peccato mundi: ne sinas nos miseros homines in tam fœdam prolabi demerentiam: multo magis illumina corda nostra tuo sancto spiritu: ut consideratione et fidu-

& fiducia mortis unigeniti filij tui vincamus omnes terrores: & per ipsum vitæ æternæ efficiamur participes.

Quartum officium summi Pontificis est, Ecclesiam, quam sua intercessione, & sacrificio patri reconciliauit, & ex faucibus mortis & Satanae eripuit: sanctificare, viuificare, & gloriosam reddere, ut & ipsa in conspectum Dei prodire: ipsum confidenter in omni necessitate inuocare: & hostias laudis offerre audeat, & possit. Etiam in veteri testamento sacerdotum officium erat, populum purgare lustrali aqua, & sanctificare: Exod. 19. Moyses iubetur sanctificare populum: & Leuit. 16. Aaron iubetur sanctificare, & purificare filios Israel. Et epistola ad Heb. inquit cap. 9. Si enim sanguis taurorum & hircorum, & cinis vaccae rufa aspergens inquinatos, sanctificat ad purificationem carnis: quanto magis sanguis Iesu Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, mundabit conscientiam vestram à mortuis operibus? Ex his manifestum est, sacerdotum officium fuisse sanctificare

DE SACERDOTIO

filios Israël sanctificatione legali: Ergo & Christus sacerdos prestat hoc officium sanctificandi suos: sed sanctificatione spirituali & aeterna. Christus resuscitatus nos simul cum ipso viuificat: inspirat nobis fidem in ipsum: effundit in nos spiritum sanctum: accendit in nobis nouam & caelestem vitam: renouat imaginem Dei in nobis: illuminat nostram mentem agnitione veri Dei: flectit voluntatem ad obediendum mandatis diuinis: implet cor ardenti dilectione Dei, & leticia spirituali: Ornat nos iusticia in conspectu Dei: et delet in nobis peccatum & mortem. Ita & applicat nobis sua morte parua beneficia, et sanctificat nos: quemadmodum ipse testatur: Ioh. 17. Ego me sanctifico pro eis, ut & ipsi sint sancti: & Ioh. 10. Ego vitam aeternam do eis: Ephes. 5. Christus dedit seipsum pro Ecclesia, ut eam sanctificaret, purgans eam lauacro aquae in verbo: Zach. 12. Effundam super domum Dauid spiritum gratiae & precum. Coloss. 1. Ut scisteret vos sanctos, inculpatores & irreprehensibiles in conspectu suo 1. Cor. 6. Sed
abluti

abluti estis : sanctificati estis , iustificati estis : in nomine domini Iesu , & in spiritu Dei nostri. Hæc officia summi sacerdotis consideranda nobis sunt , quando spiritus Sanctus dominum nostrum Iesum Christum appellat sacerdotem : atq; hinc consolatio petenda est contra iram Dei , peccatum , mortem , legis maledictionem & Satanae tyrannidem.

Monet autem spiritus Sanctus ingens discrimen esse inter sacerdotium Aaronis , & sacerdotium Iesu Christi. Idcirco diserte addit , tu es sacerdos in æternum , secundum ordinem Melchizedek , quasi dicat , non secum ordinem Aaronis.

Discrimen inter sacerdotium Aaronis & Christi.

Totum Aaronis sacerdotium cum omnibus sacrificijs & ceremonijs tantum fuit typus seu umbra rerum futurarum : quas Deus in Christo promittebat : non fuit ipsa veritas , neq; res spiritualis. Ad Heb. 9. Christus non est ingressus in
K 4 sancta ,

DE SACERDOTIO

*sancta, quæ manu facta sunt. Quæ erant
figura rerum futurarum. Et decimo cap:
Lex umbram habens futurorum bonorū,
non ipsam imaginem rerum: Coloss. 2. Ne-
mo vos iudicet in cibo aut potu, aut vici-
bus dierum festorum, aut nouilunij, aut
sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum,
corpus autem Christi: At Christi sacer-
dotium est ipsa veritas, & res spiritualis:
ipse vere placat iram Dei, vere tollit
peccata, vere restituit iusticiam, & san-
ctificat nos ad vitam æternam. Non enim
est in alio salus, neq; est aliud nomen da-
tum hominibus, in quo oporteat nos saluos
fieri: Act. 4. Quoties ergo patres & Pro-
phete in veteri testamento victimas obtu-
lerunt, non existimarunt iram Dei placari,
& peccata sua expiari istis pecudum
maclationibus: sed his hostijs statuebant
significari Messiam, qui sanguinem suum
pro genere humano effusus erat: ac fide
intuentes regnum Dei, petebant sibi re-
mitti peccata, & statuebant se propter me-
diatorem recipi in gratiam, se reputari iu-
stos, & constitui heredes vite æternæ. Sic
David*

David offerens victimas, simul addit precationem. Ps. 51. Expiabis me byssopo & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor: sanguine mediatoris petit abluere peccatorum suorum sordes: & mundiciem sibi promittit in conspectu Dei fiducia mediatoris. Hinc est quod passim taxant Prophetae hypocritarum oblationes, & hostias: quia neglecta fide in mediatorem, & posthabitis pœnitentiæ motibus: mactationibus pecudû confidebant: Iesa. 1. Ad quid mihi multitudo sacrificiorum vestrorum? dicit dominus, holocausta arietum, & adipem saginatorum fastidio, quod sine fide fiant. Mich. 6. Num placent Deo mille arietes: aut decies mille torrentes olei. Quod si sacrificia externa à Deo in lege mandata, non expiabant peccata, nec placabant Dei iram: ut docent Prophetae: multo minus blasphemum missæ sacrificium apud pontificios, quod à Deo mandatum non est, sed feroci hominum audacia in Mediatoris contumeliam confictum: vel iram Dei placare: vel nostra delere peccata, vel vitam æternam promereri poterit.

DE SACERDOTIO

Secundum discrimen: Aaronis sacerdotium distinctum plane fuit à regno Israël. Non licuit Regi, sacerdotis obire munera: Vicissim non licuit sacerdoti, adfectare regiam dignitatem: Quod Macabaorum posteri regium diadema sibi imposuerunt, contra legem Dei factum esse constat.

Cum V Zias Rex sese effert animo, & thuribulo arrepto sacrificare conatur: in templo percutitur à Deo lepra. Atq; hoc discrimen officiorum veteri testamento et externa gubernationi seruire debuit.

*At Christus coniunctim tenet & sacerdotium & regnum, licet non sit ex posteritate Leui sed iuda vniuersa enim forma totius polittie Mosaicae et sacerdotij Leuitici: vnum Christum praefigurabat: omnia ad Christum directa erant: Omnia Christi maiestatem & beneficia adumbra-
bant. Atq; hinc colligi debuit Christum longe alium fore Sacerdotem, quam Aaron fuit: siquidem simul erat regnum administraturus: Neq; extremum debuit suscipere sacerdotium, sed spirituale, quod cum regno spiriuali coniungi posset.*

Terti-

Tertium discrimen: Aaronis sacerdotium pars fuit legis: sonuit decalogum: revelavit peccatum: denunciavit iram Dei: monstravit naturam nostram immundiciem, & conclusit hominem sub peccatū: At Christus sacerdos non solum legem sonat, sed in primis promissionem Euangelij, de gratuita remissione peccatorum, ostendit placatum patrem, & offert nobis reconciliationem cum Deo, & liberationem à lege. Venite inquit ad me omnes qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos, Matth. 11.

*Aaronici sacerdotes proposuerunt etiam Euangelij promissionem populo: In semine tuo benedicentur omnes gentes: Gene. 12. Et: dominus Deus misericors, clemens, beneficus, tardus ad iram, & multa bonitatis & veritatis, condonans peccata, transgressiones, & iniquitates. Verum hæ conciones non nitebantur ipsorum sacrificijs aut victimis, sed sanguine venturi mediatoris. At summus hic Pontifex Christus, et primum revelavit promissionem gratiæ de cælo:
Et pro.*

DE SACERDOTIO

Et propria hæc est ipsius vox: & donatio remissionis peccatorum nititur merito & morte huius summi Pontificis.

Quartum discrimen, Aaron, Eleazar & similes sacerdotes, pecudes tantum obtulerunt, tauros & oves: quibus non potuit deleri peccatum: unde Epistola ad Heb. inquit cap. 10. Impossibile enim est, sanguine taurorum & hircorum expiari peccata.

At Iesus Christus filius & agnus Dei non obtulit pecudes, hircos, agnos, vitulos, capras: sed seipsum obtulit Deo, & effudit suum sanguinem, quo placavit iram Dei, & nobis vitam æternam meruit. Hinc Ioannes inquit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: Ioh. 1. Gal. 1. Qui dedit seipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos ex presenti seculo malo. Multo ergo sublimior est hic pontifex, qui proprio suo sanguine placat iram Dei, quam illi, qui pecudum sanguine veram victimam adumbrarunt.

Quintum discrimen: Aaron ergo tantum contulit suis sacrificijs, & sanctificatione,

tionem, legalem placationem & puritatem, spiritualem vitam & iusticiam conferre non potuit. At Iesus Christus sacerdos, praestat nobis aeterna & spiritalia bona: delet peccatum & mortem, restituit iusticiam & vitam, largitur spiritum Sanctum, renouat imaginem Dei in nobis: Ego inquit, vitam aeternam do eis: Ioh. 10.

Sextum discrimen: Aaron ingrediebatur in sanctum sanctorum manu factum, & quotannis suum praestabat sacrificium: At filius Dei Sacerdos ingreditur in arcuum consilium totius diuinitatis: & prodit in conspectum Dei, ut Deum patrem nobis reconciliet, & spiritus sancti donationem nobis impetret ad Heb. 9. Per proprium sanguinem semel ingressus est sancta sanctorum aeterna redemptione inuenta.

Septimum discrimen: Aaron Sacerdos unctus fuit ad sacerdotium oleo precioso balsami, & ex aromatibus confecto. At Iesus Christus unctus est spiritu Sancto. Iesa. 61. Spiritus domini super me, eo quod unxit me: & Ps. 45. Propterea unxit te De-

DE SACERDOTIO

te Deus, Deus tuus oleo laticiae, hoc est, spiritu, laticiae auctore, praesortibus tuis.

Octavum discrimen: Aaron sacerdos, quia & ipse circumtulit peccata & iram Dei offendit, necesse habuit, tam pro suis, quam pro populi peccatis offerre sacrificia, ad Heb. 9. In secundum tabernaculum semel in anno solus Pontifex ingrediebatur non sine sanguine, qui obtulit pro suis, & pro populi delictis: At Iesus Christus non obtulit sacrificia pro suis delictis: fuit enim solutus, purus, & immunus ab omni peccato: Iesa. 53. Qui peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius: tantum vero pro populi sui peccatis seipsum obtulit. Iesa. 53. Propter peccata populi mei percussi eum: peccata multorum tulit.

Nonum discrimen: Aaronis sacerdotium tantum ad populum Israël pertinuit, et ad templum Ierosolymitanum fuit alligatum, non licuit sacerdotibus Aaronicis alibi extra hoc templum sacrificia offerre. Quando Propheta in alijs locis, ut Elias in monte

monte Carmelo, sacrificarunt, peculiari Dei mandato id est factum. At Iesu Christi sacerdotium pertingit ad totum genus humanum: ille Sacerdos est pro omnibus nationibus: ille ad templum alligatus non est: offert sanguinem suum in arca crucis. Et Ioh. 4. inquit: Venit tempus, quia neq; in hoc monte, neq; Ierosolymis adorabitis patrem, sed veri adoratores, adorabunt patrem in spiritu & veritate.

Decimum discrimen: Aaronis sacerdotium ad certum tempus fuit destinatum, neq; unus potuit omnibus temporibus sacerdotio fungi: sed alij alijs successerunt, Aaroni Eleazar, Eleazaro Phineas, & sic deinceps. Neq; diutius quam ad Christum promissum, quae est impletio legis, durare debuit. Christus vero est Sacerdos in aeternum, ut hoc loco expresse ait spiritus sanctus. Nemo succedet Christo, quia resuscitatus ex morte viuet in aeternum: Nec ipse gloriam & honorem suum tradet alteri.

Detestanda blasphemia est quod pontificij fingunt sacerdotium Christi translatum esse

DE SACERDOTIO

esse in Apostolum Petrum, à Petro deinde
in sedem Romanam. Petrus enim, licet
Apostolus, nullo modo tamen obire potuit
officia summi sacerdotis: non potuit victi-
ma sua placare iram Dei. Non ingredi in
arcanum Dei concilium. Non sua interces-
sione salutem toti generi humano impetra-
re: non sanctificare nec viuificare populū:
Neq; vlla creatura hæc potuit præstare:
Ad unigenitum et omnipotentem Dei fili-
um ista pertinent, qui est sacerdos in æter-
num: neq; unquam deponit vel intermit-
tit hoc suum officium: perpetuo enim lucē
sui verbi inter nos conseruat: perpetuo in-
tercedit pro nobis apud patrem æternū: per-
petuo sacrificij sui efficacia & merito pla-
cat iram Dei, & tollit peccata: perpetuo
sanctificat & viuificat suos fideles. Vt er-
go in æternum sedet ad dexteram Dei pa-
tris: ita & in æternum est Sacerdos do-
minus noster Iesus Christus, ad quem in
omni tentatione, & necessitate est con-
fugiendum.

Fuit sane Apostolus Petrus sacerdos, ut
& reliqui Apostoli omnes, non ratione
sui a-

sui apostolatus seu ministerij: sed fidei in Christum, per quam adeptus spiritum sanctum, & insertus corpori Christi sanctificatus fuit in sacerdotem, cui licet prodire in conspectum Dei, & offerre hostias spirituales acceptas Deo per Iesum Christum 1. Pet. 2. Ac non solum Apostoli & Episcopi, sed singuli piij, baptizati in nomine Iesu Christi, et a spiritu Sancto illuminati, ita fiunt participes sacerdotij Christi, ut et ipsi constituantur sacerdotes novi testamenti, attestante Iesaias: 61. Vos autem sacerdotes Domini vocabimini. Et Iesaias natus ex regia stirpe Davidis inquit in spiritu: Dominus sacerdotali more ornavit me magnificentia.

At Christo summo pontifici non successit Petrus, nec ullus Apostolorum. Hec enim solius Christi prerogativa est, quod solus placat iram Dei: solus expiat peccata: solus intercessione sua facit nobis aditum ad aeternum patrem: solus meretur nobis vitam aeternam: solus imputat nobis suam iusticiam: solus donat nos spiritu suo sancto. Hec à nullo homine, neq; ab ullo

L creatus

DE SACERDOTIO

creatura prestari possunt. Idcirco nullus hominum Christo in pontificatu succedere potest: sed Christus est & manet sacerdos in aeternum.

Error pontificiorum hinc ortus est; quod ignorarunt discrimen inter sacrificium Christi ἱλαστικόν, & sanctorum sacrificia εὐχαρίστικα: solius filij Dei obedientia, passio & mors, est propitiatio pro peccatis mundi. Ioh. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: Iesa. 45. Tantum in domino sunt mihi iusticiae. Sanctorum vero opera sacrificia quidem sunt laudis, iusticiae, fidei, & gratiarum actionis: sed nequaquam merentur, neque nobis, neque alijs remissionem peccatorum & vitam aeternam. Immensum discrimen est inter Christum summum pontificem Deum et hominem: & inter alios sacerdotes, siue sint Apostoli, siue fideles.

Hallucinamur etiam in eo pontificij, quod fingunt Petrum ratione sui Apostolatus, et ministerij Evangelici esse sacerdotem & Christo successisse. Diuersae enim sunt rationes cum sacerdotij, tum ministerij in no-

no testamento. Peculiaris vocatio & mandatum filij Dei constituit Petrum, & eius collegas Apostolos, & pracones Euangelij: Neq; licet alijs non vocatis ad hoc munus usurpare hunc titulum. Deus alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores, alios gubernatores. At fides ipsa, qua Petrum fecit participem beneficiorum Christi constituit eum sacerdotem, & fecit idoneum eum, ad offerendas hostias spirituales acceptas Deo per Iesum Christum: hic non fuit opus peculiari mandato, neq; singulari ritu ordinationis: sed sufficiebat promissio generalis. Quotquot autem susceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: Ioh. 1. Ideoq; singuli fideles, qui per baptismum dominum Iesum induerunt: & per fidem peccatorum remissionem, & spiritus Sancti donationem impetrarunt, non minus gloriari possunt se sacerdotes esse Dei altissimi quã vel Apostolus Petrus, vel Paulus, vel Ioannes Euangelista. Imo pia matrona sincera fide amplectentes promissionẽ Euangelij sunt sacerdotes domini, quibus offerre licet sacrificia

DE SACERDOTIO

laudis, patientiæ, castitatis, gratiarum à-
ctronis, confessionis, & omnium virtu-
tum.

Prophanus ergo error, & tyrannis non
ferenda fuit, quod pontificij sacrificuli po-
pulum & clerum domini, hoc sanctissimo
titulo, spoliare conati sunt, & suo ordini
tantum ascripserunt. Et ut fœcundus est
error: in eo quoq; hallucinati sunt, quod
κακοζηλία quadam finxerunt oportere in
novo testamento externum esse sacerdoti-
um, cuiusmodi in veteri testamento exti-
t: Cum totum vetus testamentum, & v-
niuersum sacerdotium Leviticum cum o-
mnibus sacrificijs & typis & umbris, in
Christo Iesu summo pontifice sit impletum
& abrogatum. Corpore vero presente um-
bris nihil sit opus. Nullum ergo est exter-
num sacerdotium in nouo testamento: Ve-
stes sacerdotales & Levitica & ordinum
distinctiones apud pontificios sacrificulos,
merum figmentum est, ex stolidâ κακοζη-
λία natum. Quod ad ministerium verbi
attinet, siue de Apostolis, siue de Episcopis,
siue de Pastoribus loquaris, prorsus alia ra-
tio est.

rio est. Spirituales vero sunt sacerdotes in nouo testamento, qui in ornatu sancto, nimirum in fide, spe, agnitione & nomine Mediatoris offerunt hostias spirituales, & viuas: patientiam, confessionem, gratiarum actionem.

Cum etiam Christus in aeternum sit noster sacerdos, liquido constat, beneficia ipsius aeterna esse, quae nobis apud aeternum patrem impetrat. Non ergo tantum huius vitae bona impertit nobis, ut condonationem peccatorum in hac vita, temporalem liberationem, defensionem, nutritionem: sed in primis placat nobis patrem aeternum, ut nos recipiat in gratiam: cooptet in filios: & adscribat haeredes vitae aeternae. Ergo et corpora nostra resuscitabit ex morte, & ornabit nos iusticia, & transferet nos in caelum, ut cum ipso in omnem aeternitatem viuamus, & laetemur.

Nunc videndum est nobis, qua in re consistat similitudo inter Melchizedek & Christum.

DE SACERDOTIO
Collatio inter Melchizedek
& Christum.

Historia de Melchizedek qui fuit Rex
Salem & Sacerdos Dei altissimi: &
Abrahamo reuertenti è Syria profligatus
Regibus protulit panem & vinum, & A-
brahamo benedixit, extat Gen. 14. Hiero-
nymus scribit hunc Melchizedek fuisse pa-
triarcham Sem filium Noah: idq; in He-
braeorum commentarijs inueniri: Ac vi-
xiffe etiam post Abrahamum Patriar-
cham Sem, ex sacra scriptura doceri potest:
sed an hic Sem fuerit Melchizedek ex scri-
ptura non liquet. Quia vero spiritus San-
ctus dicit Christum fore sacerdotem secun-
dum ordinem Melchizedek considerandū
nobis est, quibus in rebus collatio existat.

Primum ergo Melchizedek utrumq; su-
stinuit officium cum regis in Salem, tum
sacerdotis Dei altissimi: fuit enim in illa
prima antiquitate, utraq; potestas, & re-
gia & sacerdotalis, penes patrefamilias,
& primogenitos: Vt Iacob de Ruben dicit:
Primus in regno, & primus in sacerdotio:
Gen. 49.

Gen. 49. sed per Moysen deinde distinxit: atq; diremit hæc officia Deus: sacerdotiū tribui Leui et familiae Aaronis commenda- uit. Regiam vero potestatē, cū aliquot seculis, varijs concesserit tribubꝫ, tandē dedit familiae Davidis, et tribui Iudæ. Ac semper distincta māserūt hæc officia Messias vero rursus cōiūget ista officia ac exēplo Melchi Zedek simul et Rex et sacerdos est futurus:

Atq; hinc manifestū est politia Mosaicā et sacerdotiū Aaronis nō oportere perpetuo durare, sed abolitū iri adueniente Messia: siquidem ille contra leges Mosaicas, et totā politiam simul Rex et Sacerdos sit futurus. simul etiam significatur Christi regnum et sacerdotiū fore spirituale, ut utrūq; officiū coniungi possit. Ac sane Christum oportuit, utrumq; suscipere munus, cum regiū iū sacerdotale: quia tota politia Mosaica in Christum respiciebat: ille fuit finis, et impletio legis: illi omnia debebant cedere et subijci.

Melchi Zedek quidem non fuit Rex spiritualis, sed terrenus, qui subditis suis iusticiam administravit, & pacem conseruauit: eternam & spiritualement iusticiam dare

DE SACERDOTIO

non potuit, sed necesse habuit hanc petere
à promisso Mediatore: Neq; spirituale eius
fuit sacerdotium: non enim victima sua
placavit Dei iram, sed pecudes obtulit
Deo per fidem, & sese sustentavit expe-
ctatione venturi Messia: qui solus obedi-
entia & morte sua placaturus erat Dei i-
ram, & Ecclesiam suam sanctificaturus.
Tantum igitur in eo hæc prima consistit
collatio, quod ut Melchizedek simul &
Rex fuit & Sacerdos Dei altissimi: Ita &
Messias abolita politia Mosaica, et transla-
to sacerdotio Aaronis, utrumq; officium,
cum regium tum sacerdotale, sit subitu-
rus.

Secundo. Appellatio Melchizedek si-
gnificat regem iusticie, & salem signifi-
cat pacem. Hi vero summi tituli in primis
conveniunt domino nostro Iesu Christo:
Hic enim est Rex Iusticie, non tantum ut
Melchizedek, qui iuste imperavit, & æ-
quitatem coluit: sed qui æternam nobis
restituit iusticiam apud Deum. Ipse enim
morte sua satisfacit pro nostris peccatis:
& obedientia sua implet totam legem pro
nobis.

nobis: quam suam iusticiam nobis impu-
tat per fidem: Deinde effuso in nos spiritu
Sancto, detergit peccatum, & nouam ef-
ficat in nobis iusticiam. Non solum igitur
ipse rex est iustus, purus ab omni peccato,
et plenus iusticia: verum etiam nobis com-
municat iusticiam, & nos coram Deo ius-
tos facit. Vnde et Zacharias 9. vocat eum
regem iustum, qui vniuersae suae Ecclesiae
iusticiam confert.

Præterea quod Melchizedek dicitur
Rex Salem .i. pacis: id in primis conuenit
Christo. Hic adfert nobis pacem conscien-
tiæ erga Deum: delet chirographum quod
contra nos erat: extinguit omnem inimi-
citiã, & reconciliat nos patri aeterno, per
mortem sui corporis. Paulus inquit: Visum
est in Christo habitare omnem plenitudi-
nem, & per ipsum omnia reconciliari, quæ
sunt in cælo & in terra. Et ut pax Hebraeis
vniuersam complectitur salutem, cum hu-
ius tum futuræ vitæ: Ita hic noster Messias
est Rex pacis, qui nobis vniuersam præstat
salutem: destruit peccatum & mortem:
reprimit Satanam: pellit morbos: euertit
L. 5. tyran-

DE SACERDOTIO

tyrannos: delet hæreticos: & largitur Ecclesie suæ pacem: hoc est, omnia huius vite commoda, & æternæ vitæ beatitudinem.

Tertio: Melchizedek protulit panem & vinum, & cibavit defatigatum exercitum Abrahæ reuertentem à cade regum: At filius Dei Messias Rex & sacerdos exercitum suum defatigatum acri & vehementi certamine cum peccato, morte, ira Dei, maledictione legis, Satana & inferno, & cum varijs tyrannis, et hæreticis: solus pascit, & reficit non pane & vino; sed corpore & sanguine suo, quem effudit pro nobis in remissionem peccatorum. Quotquot enim credunt in Iesum Christum crucifixum & resuscitatum, qui dedit carnem suam pro mundi vita: hi reficiuntur, recreantur, satiantur & seruantur in vitam æternam. Hi in Christo sunt, & Christus in ipsis vivit, & per spiritum suum sanctum æternam in eis accendit vitam & læticiam: ut Christus testatur: Ioh. 6.

Quarto: Historia Geneseos testatur Melchizedek benedixisse Abrahæ: ex quo
recte

recte colligit epistola ad Hebraeos: Melchizedek longe fuisse maiorem ipso Abrahamo: siquidem minor à maiore solet benedici. Spiritus Sanctus vero cum dicit Christum fore sacerdotem secundum ordinem Melchizedek, haud dubie ad hanc benedictionem respexit. Atq; nobis indicare voluit per sacerdotes Aaronicos non tribui nobis veram & spiritualem benedictionem: siquidem & ipsi indiguerunt benedictione: Imo ipse Abraham maior Moyse, & Aarone, maior Leui & Iacob indiguit benedictione alterius. Vnde Christus inquit: Abraham vidit diem meum & letatus est. Ioh. 8. Christus vero futurus est verus Sacerdos secundum ordinem Melchizedek: qui ipsum Abraham, & in ipso Aaronem, & totum populum: Imo universam Ecclesiam benedicit, iuxta promissionem: In semine tuo, (quod est Christus, interprete Paulo) benedicentur omnes gentes: Gen. 12. Omnes enim homines, non solum Aaron, et eius posterum, verum etiam Leui, et ipse Abraham, et totum a deo genus humanum oppressum iacet legis maledictione:
 qua

DE SACERDOTIO

que uniuersas calamitates, & supplicia, & mortem ipsam minatur, & in se continet: Neq; ullus hominum fuit, est, aut erit, qui sese ex ista legis maledictione proprijs viribus vel iusticia explicare & euoluere posset. At filius Dei Iesus Christus summus ille est Sacerdos, qui aufert omnem legis maledictionem: eximit nos ex omnibus malis, & benedicit nobis, hoc est, restituit iusticiam, lucem, vitam, leticiam in Deo, et eternam beatitudinem, quiq; largitur nobis spiritum suum Sanctum, & facit nos heredes regni caelorum.

Utiq; Melchizedek insigni gratiarum actione, pro victoria Abrahae, celebrat eterni Dei laudes: Ita filius Dei summus sacerdos proditurus est in conspectum eterni Dei, ipsum innocaturus pro salute generis humani, & Deo gratias acturus pro victoria, quam à Satana, morte, peccato, inferno, reportauit: & quod populum suum ex hostium manibus eripuit, & libertati restituit. Atq; adeo primus est hic Messias, qui exorditur inuocationem ad Deum, ut ipse etiam Melchizedek fiducia
pro-

promissi mediatoris ad Deum omnipotentem accesserit & suas preces, & sacrificia laudis, in nomine Iesu Christi obtulerit.

Sexto. Abraham decimas omnium facultatum suarum dedit Melchizedek: quo officio testatus est se inferiorem esse Melchizedek: se ab ipso accipere doctrinam de Deo: & ab ipso benedici. Quod si Abraham superiorem agnouit Melchizedek, ut sacerdotem Dei, multo magis, Leui, & Aaron inferiores sunt Melchizedek: Ut qui in lumbis Abrahæ decimati sunt. Cum ergo Christus sit Sacerdos secundum ordinem Melchizedek, ut maior est Abrahamo: ita & Leui, & Aarone, & omnibus sacerdotibus Mosaicis: Atque omnes sacerdotes veteris testamenti tenentur dare decimas, huic summo pontifici Iesu Christo: hoc est, agnoscere quod per ipsum habeant agnitionem veri Dei, & promissionem gratiae de remissione peccatorum, ab ipso didicerint: & quod Iesus Christus praecipuus sit minister Euangelij, qui non solum consilium Dei de redemptione generis hu-

DE SACERDOTIO

vis humani patefecerit: verum etiam dicat consolationem in cordibus, & efficiat in nobis vitam & salutem.

Septimo. Author epistola ad Hebraeos monet observandum esse, quod historia Genesios, nec patrem, nec matrem Melchizedek nominat: neque etiam initium dierum eius, neque vitae finem recenset, unde colligit Christum sacerdotem secundum ordinem Melchizedek aeternum esse sacerdotem, qui nunquam in alium suum sacerdotium sit translaturus.

In summa hac sententia hoc voluit Propheta, Aaronicum sacerdotium, ad hoc non esse institutum, ut homines reconciliaret cum Deo, sanctificaret, & perfectos redderet: sed tantum fuisse typum et umbram rerum spiritualium, & aeternarum: quas res aeternas & spirituales, longe maior & sublimior pontifex nimirum Iesus Christus, secundum ordinem Melchizedek sit allaturus & daturus: Non ergo moleste ferendum esse, quod abrogat Deus in nouo testamento, Aaronis sacerdotium cum longe perfectius & sanctius
Iesu

Iesu Christo sit commissum: Neq; in exter-
 nis ritibus sacrificiorum quarendam esse
 iusticiam, vel salutem: sed omnem fiduci-
 am in Iesum Christum verum et summū
 pontificem esse collocandam: per ipsum
 cum fiducia accedendum ad patrem: ab i-
 pso petendam esse vitam & sanctitatem.

Ad hunc ergo pontificem nostrum Ie-
 sum Christum in omni tentatione respici-
 amus, ac confugiamus: Certo statuamus
 hanc esse clementissimam Dei erga nos vo-
 luntatem, quam filius Dei Iesus Christus,
 qui est in sinu patris, nobis revelavit: Neq;
 aliam doctrinam vel opinionem admitta-
 mus de Deo & ipsius voluntate, quam qua
 per Christum de caelo est allata & patefa-
 cta: firmiter credamus uniuersam iram
 Dei patris, accensam nostris, et totius mun-
 di peccatis, sedatam & extinctam esse
 sanguine, & morte Iesu Christi: quem
 pater aeternus constituit victimam pro pec-
 cato. Plenam ergo peccatorum remissio-
 nem habemus in Iesu Christo: plene satis-
 factū est legi abolita maledictione: explosa
 est accusatio. Dedit enim nobis potestatem
 filias

DE SACERDOTIO

filios Dei fieri. Ioh. 1. Semper animos nostros confirmemus hac consolatione, quod filius Dei pro nobis intercesserit apud Deum & universam salutem nobis impetrauerit: atq; quotidie pro nobis apud patrem interpellat: ut seruemur in fide, & aeternae vite gloria donemur.

Christus quoq; ut summus pontifex nos exhibet coram Deo sanctos, inculpatores, & immaculatos, non solum imputando nobis suam iusticiam, & sanctitatem: verum etiam effundendo in nos spiritum suum sanctum, qui noua luce mentes nostras illustrat: expurgat reliquias peccati: exornat nos iusticia spiritus: & perfundit nos leticia caelesti. Imo constituit & nos sacerdotes: & vult nos secum prodire in conspectum Dei: effundere coram ipso preces: & assidue offerre sacrificia laudis, & iusticia: Vnde Iesaias inquit cap. 61.

Vos omnes sacerdotes Dei altissimi vocabimini.

Domini

*Dominus à dextris tuis:
conteret in die iræ suæ Reges.*

Postquam spiritus Sanctus spirituale regnum & æternum sacerdotium Iesu Christi luculenter exposuit, promittit Christo & Ecclesiæ, cum felices successus in regno & sacerdotio: tum perpetuo conseruationem. Adsiue enim quatiuntur piorum corda hac graui tentatione: Cum deplorata sit hominum malicia & pertinacia, quis sperare potest fructum aliquem laborum in ministerio? Cum omnes tyranni conspirent in perniciem Ecclesiæ, et omnes vires ad delendam eam conuertant, Ecclesiæ vero nullis sit munita presidij: quomodo ad posteritatem propagari poterit?

Occurrit ergo spiritus Sanctus huic tentationi, ac docet patrem æternum conditorem cæli & terræ, perpetuo à dextris esse huic Messie, regi & sacerdoti. Hoc est, diuina sua potentia perpetuo tueri hoc regnum spirituale, et sacerdotium æternum. Ipse enim est vtriusq; auctor: Ipse regnum, & sacerdotium filio commisit: Itaq; patro-

M cinium

DE SACERDOTIO

cinium, & defensionem eius suscipit. Atq;
ita confirmat filium, ut ministerium spiri-
tus non abeat absq; fructu; sed potenter sit
efficax ad salutem omni credenti: ita ut
inuitis inferorum portis colligatur Eccle-
sia. Semper ergo nobis in conspectu sit aeter-
ni Dei praesentia in ministerio: siquidem
Christo est à dextris: ipsum tuetur, & per
ipsum est efficax. Reges in die irae suae con-
teret) Nullius tyranni tanta potentia un-
quam futura est, ut possit superare, vel
opprimere Christum, & ministerium.
Quin potius omnes daturi sunt pœnas. Ae-
ternus pater in die irae suae omnes conteret,
sic contriuit Neronem, Valerianum, De-
cium, Diocletianum, Maximinianum,
Maxentium, Licinium, Iulianum & in-
numeros alios potentissimos reges.

Iudicabit inter gentes: im-
plebit cadaueribus: conteret
caput in terra multa.

DE amplitudine regni Christi, et de vo-
catione gentium vaticinatur spiritus
sanctus

sanctus: Non solum posteritati Abrahae do-
minabitur, et genti iudaica: sed omnibus
gentibus imperabit, postula à me, inquit
Deus, & dabo gentes hereditatem tuam &
& terminos terre possessionem tuam Ps. 2.
regnabit à mari usq; ad mare, hoc est, Eu-
angelij sui lucem sparget & propagabit in
omnia regna mundi. Voce (iudicabit) o-
mnia regia officia complectitur, nimirum
protectionem: iustorum, & punitionem
contumacium. filius Dei Messias doctrina
sua omnes gentes vocabit ad pœnitentiam,
voce legis totum genus humanum accusa-
bit, & Dei seueram iram denunciabit:
Ut omne os obstruatur, et totus mundus re-
fiat Deo. Rom: 3. Rursus vero voce Euange-
lij omnibus seriam agentibus pœnitenti-
am, et sincera fiducia ad thronum gratiæ
confugientibus, clementissime offeret re-
missionem peccatorũ, reconciliationẽ cum
Deo, donationẽ spiritus Sancti, et vitæ eter-
næ hereditatem: Venite inquit ad me o-
mnes qui laboratis, & onerati estis, ego re-
ficiam vos: Matth. 11. Sic Deus dilexit
mundum, ut filium unigenitum daret,

DE SACERDOTIO

ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam, Ioh. 3.

Quicumq; igitur in omnibus gentibus, huic obtemperabunt doctrina, peccata sua agnoscent, & credent promissioni gratiae: his remittet Christus omnia peccata: reconciliabit eos Deo patri: liberabit eos ex maledictione legis: eripiet eos ex potestate Satanae & tyrannide mortis: donabit eos pace conscientiae, ornabit eos noua iusticia: effundet in eos spiritum Sanctum: proteget eos aduersus hostes: consolabitur eos in afflictione: reget eos doctrina & consilio: adiuuabit eos in omnibus laboribus uocationis: & tandem transferet eos ad eternam beatitudinem: atq; ita cum in hac tum in altera vita reddet ciues & milites suos felicissimos.

Contumaciter uero repugnantes Euangelio, & sine pœnitentia pergentes in sceleribus, perpetuo anathemate deuonebit: puniet eos horrendis cruciatibus conscientiae: deseret eos in periculis: & tandem in eternam damnationem eos conijciat. Atq; hæc agat sine armis, sine exercitibus, tantum

rum verbo, & ministerio spiritus. Sic Cyprianum, Ireneum, Ambrosium, Athanasium, Augustinum, Iohannem Huss Bohemum, Martinum Lutherum Germanum, agentes poenitentiam, & credentes Evangelio: recipit in gratiam, imputat eis iusticiam, & saluos facit: Sed Neronem, Decium, Diocletianum, Maxentium, Licinium, Arbogastum, Arrium, Eudoxium, Pontifices Romanos, Monachos, & similes hostes veritatis, contemptores promissionis, abicit in aeternum, & igne inextinguibili punit. In hunc modum iudicat Messias inter gentes exercendo regia sua officia ministerio spiritus.

Implebit cadaueribus.

HO C est, passim in omnibus regnis magnas edet strages: & ubiq; victoriam obtinebit. Strages maximas edit Christus, dum totum mundum accusat de peccato, & demonstrat omnes mortuos esse in delictis: nihil aliud quam cadauera esse in conspectu Dei. Atq; hoc iudicium adeo se-

M 3 uere

DE SACERDOTIO

vere exercet, ut si quis sese non submittat ei, in omnem aeternitatem sit pereundum.

Magnas strages ediderunt Alexander Magnus, Iulius Caesar, Marius, Marcellus, Scipio, Aëtius, Bellisarius: Verum Christus in suo regno spirituali multo splendidiores obtinuit victorias: Omnes enim hostes suos, in omnibus regnis, diuina sua potentia delet.

Imaginandum non est, quod Messias veluti alter Cyrus, vel Alexander Magnus, ingentes exercitus sit ducturus: quibus magnas sit editurus strages, & occupaturus mundi regna. Ut totum Messiae regnum spirituale est: ita & spirituales edit strages: De ministerio igitur spiritus haec intelligenda sunt.

Virga oris sui & spiritu labiorum suorum debellabit, & prosterneret omnes gentes: omnes populi non aliter cadent, ac si gladio interfecti essent: nulla natio in orbe, nulla gens futura est, quae poterit eius resistere Euangelio: Ille per Apostolos, Episcopos, et pastores, totum genus humanum accusabit de peccato: et iram Dei denuncian-
do

ando incutiet dolores inferni: Alexander Macedo ad Issum, & ad Arbela profligato Dario multas hominum myriadas trucidavit. Plurimum humani sanguinis effuderunt, Iulius Caesar, Pompeius, Aëtius. At Messias multo pluribus cadaueribus implebit orbem. Non exercitu, sed verbo; non armis, sed spiritu; non trucidando homines, sed accusando totum genus humanum & denunciando iram Dei, & mortem aeternam comminando. Qui in omnibus nationibus cuius concioni poenitentiae parituri sunt, eos quidem in gratiam recepturus est, & vita aeterna donaturus: qui vero consilium Dei in suam perniciem sunt aspersionaturi, hos varijs affectos supplicijs conijciat tandem in ignem aeternum, & de omnibus hostibus suis poenas sumpturus est gravissimas: et de illis triumphaturus gloriosissime.

Tum vero etiam ut Deus aeternus, & iudex omnium bellatoribus istis Cyro, Harpalo, Philippo, Seleuco, Paulo Aemyllo, Sylla, Mario, Constantino, Bellisario, Tamerlane, et similibus tanquam ira sua

DE SACERDOTIO

ministris utitur, ut puniat mundi impie-
tatem & scelera, et de hostibus suis sumat
vindictam.

Conteret caput in terra multa.

HO Cest, reges potentissimos, qui non
agnoscent hunc dominum, & tyran-
nos feroces in omnibus regnis delebit. Neq;
vllius tyranni tanta futura est potentia,
vt Christi iudicio resistere possit: Documē-
ta illustria fuerunt, Antiochus Epiphanes,
Sennacherib, Decius, Aurelianus, Dio-
cletianus, Iulianus.

*De torrente in via bibet:
propterea exaltabit caput.*

I Nepias Iudeorum interpretationes omit-
to: Vsuatissima in sacra scriptura meta-
phora est, voce (bibere,) significare adfli-
ctiōnes & arumnas. Ierem. 49. Non eris in-
nocens, sed bibendo bebes: Matth. 20. Po-
testis bibere calicem, quem ego bibam? Vt
enim pocillator singulis suum infundit ca-
licem: sic dominus singulis hominibus su-
am arumnarum portionem distribuit: Im-
pū vere

py vero coguntur feces ebibere. De passione igitur domini nostri Iesu Christi loquitur: Hanc & in voce sacerdotis significauit, sed obscurius: Nunc ergo aperte praedicit Christum subiturum arumnas grauissimas & passurum mortem.

Non calicem, hoc est, certam portionem biber, ut reliqui sancti, sed de torrente, qui cum impetu fertur: hoc est, calamitates omnium grauissimas sustinebit in via, dum versabitur in terra, & suo fungetur officio. Nam uniuersam iram suam omnium hominum sceleribus accensam effundet pater aeternus in filium victimam: sacerdotes, populus, & gentiles conspirabunt contra Messiam: & omni contumeliarum genere eum adficiant. Satanus omnem furorem suum euomet in ipsum: Ita ut nullus futurus sit deformior, aut magis miser. Vnde in Ps. 22, inquit: Ego autem sum vermis, non homo: opprobrium hominum: Et Iesa. 53. dicit fore despectissimum, & nouissimum virorum. Neq; ullus vel patrum, vel martyrum, tantas expertus est calamitates, quantas sustinuit filius Dei

M s Messi-

DE SACERDOTIO

Messias: passurum ergo & in cruce moriturum Messiam, prædicit spiritus Sanctus.

Propterea inquit exaltabit
caput.

I Llatina particula nihil significat si Iudaice interpretationes habeant locum. At cum prior sententia de afflictionibus intelligitur, recte infertur consolatio de resurrectione, et exaltatione Christi. plane ut Iesa. cap. 53. Quia dabit animam suam hostiam pro peccato, videbit semen longævum & voluntas domini prospero successu, per manum eius perficietur. Quod ergo Christus Luc. 24. Sic oportuit Christum pati, & mori, & tertia die resurgere, & ingredi in gloriam suam: Idem & hoc loco dicitur: Quia Christus atrocissimas, & omnium maximas calamitates subiturus est pro genere humano: Idcirco æternus pater diuina gloria, & maiestate eum est ornaturus.

Non relinquetur in morte, sed tertia die resurget: non perpetuo erit circumdatus infirmitatibus: sed extollet caput suum, ut glo-

ut gloriosus victor mortis, peccati, iræ Dei, maledictionis, Satanae, inferni, & omnium tyrannorum: ornabitur noua & æterna vita, & cœlesti gloria: ascendet in cœlum & sedebit ad dexteram Dei patris: & pari potentia, & maiestate regnabit cum æterno patre: omnes creaturas in cœlo & in terra habebit subiectas sub pedibus suis: magna felicitate colliget Ecclesiam in omnibus gentibus: & potenter dominabitur in omni æternitate: hoc modo exaltabit Christus caput, perpeffus mortem, et peractō opere redemptionis nostræ: Quemadmodum Paul. Eph. 4. dicit: Qui descendit idem est, qui & ascendit, supra omnes cœlos, ut omnia impleret.

LOCI DOCTRINAE.

1. Quod in diuinitate sint distinctæ personæ: Alia persona est patris, quæ loquitur ad filiū, et eū constituit regē et sacerdotem. Alia est persona filij, ad quem loquitur pater, & cui regnum spirituale committitur.

2. De æterna diuinitate Messie: Quia David in spiritu Messiam vocat Dominū, &

DE SACERDOTIO

3. *Christus Messias mandato patris collocatur ad dexteram aeterni patris, manifestum est eum esse aeternum et omnipotentem Deum.*
3. *De regno Christi spirituali.*
4. *De discrimine inter regnum Messiae & regna mundi.*
5. *De sessione Christi ad dexteram Dei.*
6. *Quod Messias hostes plurimos habiturus sit in mundo: sed omnium gloriosus sit futurus victor.*
7. *De loco, in quo Messias regnum suum sit inchoaturus, nempe in Zion.*
8. *De sceptro Messiae spirituali, quod est ministerium spiritus, et doctrina Evangelij de gratuita remissione peccatorum.*
9. *Quod Ecclesia Christi semper futura sit in medio immanium hostium, & tamen futura sit victrix.*
10. *De Ecclesia populo Messiae: quod Messias semper habiturus sit Ecclesiam.*
11. *De cultu & studio Ecclesiae erga Messiam, quod non occupabitur sacrificijs, neque cogetur lege, sed promptissimo spiritu & animo seruiet Messiae.*
12. *De sanctitate Ecclesiae Dei: quae consistit*

fistit in imputatione iusticie Christi, & sanctificatione spiritus sancti.

13. De propagatiōe Ecclesie, que nascitur, et propagatur ex verbo diuino et spiritu sancto.

14. Quod promissio de Messia, confirmata sit iuramento Dei: atq; ideo indubitata & immota sit.

15. De eterno sacerdotio Messie, qui simul et Rex spiritualis, & sacerdos aternus sit futurus.

16. De discrimine inter sacerdotium Aaronis & Christi.

17. Collatio inter sacerdotem Melchizedek & sacerdotem Christum.

18. De pœnis omniū hostiū, qui sese Christo opponūt, et eiꝰ Euangeliō nō amplectūtur.


19. De officio regis & sacerdotis, quod iudicaturus sit totum genus humanum, iuxta legem & Euangelion.


20. De vocatione gentium.

21. De passione & morte Messie.

22. De resurrectione Messie ex morte, ascensione in cælum, & diuina eius gloria & maiestate.

Θεῶν Δόξα.






ULD Halle

003 814 816






154471


ULB Halle 3
003 614 948



5b.







EXPLICATIO PSALMI
CX.
IN QVA, DO-
CTRINA DE SPI-
rituali regno & aeterno sa-
cerdotio Iesu Christi
exponitur:

Authore

D. Tilemano Heshusio.



HELMSTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. LXXX.

